



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD


This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.





952S

34. 401.

400







600042952S

34. 401.

~~400~~





600042952S

34. 401.

400








600042952S

34. 401.

400






600042952S


34. 401.

400









THE UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

PHYSICS 311

1999

PHYSICS 311

1999

BERENGARII TURONENSIS

QUAE SUPERSUNT

TAM EDITA QUAM INEDITA.

TYPIS EXPRESSA

MODERANTE

AUGUSTO NEANDRO

THEOL. DR. ET PROF. IN UNIV. BEROL. CONSIST. REG. ASS. CET.

T O M. I.

BEROLINI, 1834.

SUMTIBUS HAUDE ET SPENER.

(S. J. JOSEPHY.)

BERENGARII TURONENSIS

DE

S A C R A C O E N A

ADVERSUS LANFRANCUM

LIBER POSTERIOR.

E CODICE GUELFERBYTANO

PRIMUM EDIDERUNT

A. F. ET F. TH. VISCHER.

CUM APPENDICE EMENDATIONUM E COD. MS.

BEROLINI, 1834.

SUMTIBUS HAUDE ET SPENER.

(S. J. JOSEPHY.)

401.

100 1114

UNIVERSITY OF OXFORD



10

L e c t u r o S.

Tandem aliquando in lucem prodit Berengarii liber ille adversus Lanfrancum plurimorum eruditorum votis, ut persuasum nobis habemus, desideratus, ex quo illustrissimus Lessingius publicam ejus mentionem fecit. Hoc scriptum enim non solum ad Berengarii de eucharistia sententiam accuratius indagandam ejusque ingenium theologicum adumbrandum plurimum confert, sed non pauca etiam continet, quae ad ecclesiae literarumque theologicarum in aevo Hildebrandino conditionem melius perspiciendam atque ad virorum illius aetatis insignium Hildebrandi, Leonis IX, Humberti Cardinalis animos moresque luculentius depingendos inservire possunt. Quia vero eruditorum virorum plurimum interesse putabamus, ut Berengarii scripta variis antiquorum monumentorum collectionibus dispersa, aliorumque epistolas vel ad illum datas, vel ad ejus historiam pertinentes, omnia uno volumine conjuncta proponerentur, auctores fuimus viro honestissimo atque ad omnia quae literas juvare

possunt studiis suis promptissimo, Josephy, Bibliopolaë, ut huic fasciculo alterum adderet omnia illa variis e libris depromta et conjuncta continentem. Non possumus etiam, quin magnopere laudemus insignem industriam atque diligentiam humanissimi atque eruditissimi Aemilii Ziegleri, Philologiae candidati, qui his omnibus describendis atque excudendis gnaviter invigilavit. Denique quia fieri potest, ut Bibliothecae publicae aliqua contineant, quae huic collectioni augendae inservire possint, bibliothecarum praefectos enixe rogamus, ut si ejusmodi scripta iis oblata fuerint pro humanitate sua atque liberalitate communicare ea cum bibliopolio Haudeo Speneriano velint. Speramus autem, fore ut ex bibliothecis Galliae atque Angliae copia nobis fiat aliquot ineditorum Berengarii operum, quorum brevis index seorsum est adjectus.

Berolini m. Febr. MDCCCXXXIV.

Dr. *Aug. Neander.*

BERENGARII TURONENSIS

DE

S A C R A C O E N A

ADVERSUS LANFRANCUM

LIBER POSTERIOR.

THE HISTORY OF THE

18

THE HISTORY OF THE

PRAEFATIO.

Berengarii Turonensis hunc librum, in bibliotheca Guelferbytana a Lessingio repertum, D. C. Friedr. Staudlin, theologiae professor in Georgia Augusta, postquam ipsum codicem, Goettingam translatum, exscripserat, in programme paschali anno MDCCCXIV. se editurum esse annuntiavit. Quod programma cum capita eorum breviter exponat, quae hunc librum lecturus necesse est in memoriam revocet, visum est hoc loco iterum typis edere.

Academiae Georgiae Augustae Prorector cum senatu sacra Iesu Christi redivivi anni MDCCCXIV. pie celebranda indicit.

Annuntiatur editio libri Berengarii Turonensis adversus Lanfrancum, simul omnino de scriptis ejus agitur.

„*Berengarium Turonensem* suam de sacra
„coena sententiam multis scriptis et epistolis expo-
„suisse et contra adversarios defendisse, auctor est
„*Sigebertus Gemblacensis*, ejusdem seculi scri-

„ptor ¹⁾). Haec scripta tantum non omnia interierunt, „lucem certe publicam vix unum alterumve vidit.

„Circa a. 1050 primum videtur Berengarius „opinionem Paschasii Radberti late in ecclesia „dominantem non solum in dubium vocasse, verum „etiam quae pugnarent cum ipsa argumenta non- „nullis declarasse. Scripsit deinde Adelmanus, cum „ipso olim discipulus Fulberti, episcopi Carnoten- „sis, nunc scholasticus Leodiensis, epistolam ²⁾), qua, „ut ipsius verbis utamur, obsecrabat ipsum „per mi- „sericordiam Dei et per suavissimam memoriam Fol- „berti, ut pacem catholicam diligeret, neque con- „turbaret rempublicam christianae civitatis, bene jam

¹⁾ Scripsit contra Adelmanum — defendens suam de mysteriis Christi sententiam. Et quia multi ad eum vel contra eum super hac re scripserunt, scripsit et ipse ad vel contra eos. De scriptor. eccles. cap. 154. in Fabric. Bibl. eccl. p. 111.

²⁾ Hanc epistolam, postquam plus una vice recusa esset, pleniorē edidit C. A. Schmid. Brunsv. 1770. Praecessisse aliam epistolam, liquet ex p. 5. „Haec (scilicet te aliter sentire de corpore ac sanguine domini, quam fides catholica teneat, non esse verum corpus Christi, neque verum sanguinem, sed figuram quandam et similitudinem) cum ante biennium audissem, fraternitatem tuam per epistolam convenire, idque ex te ipso certius sciscitandum decrevi,“ atque ex pag. 6., Adelmanum responsum haud tulisse. Secundam autem epistolam ejusdem argumenti cum priore fuisse, sed copiosiorē, ipse scriptor dicit p. 33. „Epistolam eandem, sed paulo largiorē, ecce jam secundo tibi mitto, quoniam, properante legato priore, propositam quaestionem de tripartita corporis Christi distinctione commode expedire copia non fuit; credo etiam in manus tuas nondum illam pervenisse; nequaquam silentium tam diu tenuisses.“ Non nullius momenti haec sunt, quia faciunt ad quaestionem, de qua disputare solent, quo primum tempore Berengarius sententiam a catholica diversam professus sit. Ceterum fieri sane potuit, ut de catholica dubitaret, ut eam rejiceret, neque tamen ipse statim sententiam propriam ejusque notionem clarā animo informatam haberet.

„compositam a majoribus, pro qua tot martyrum
 „millia, contra idololatriam et regnum diaboli forti-
 „ter dimicantes, triumphaverunt, subindeque sancti
 „doctores bella civilia ab haereticis commota saluta-
 „ris eloquentiae fluminibus restinxerunt, itaque eam
 „circumquaque munierunt, ut jam novus hostis nul-
 „lus oboriri queat, qui, adversus eam aliquid nitens,
 „non continuo mille jaculis desuper ruentibus obru-
 „atur. Ideo, addit, confusi sunt omnes et defece-
 „runt. Ubi enim sunt Manichaei? ubi Arriani? quo-
 „nam tota illa factio perditissimorum civium evasit?
 „Computruit etiam memoria eorum. At vero Am-
 „brosius, Augustinus, Hieronymus et alii plures be-
 „stiarum talium oppressores, cum laudibus vivunt,
 „cottidieque splendidius efflorescunt“¹⁾. Quamvis
 „haec secunda epistola esset atque Adelmanus ob-
 „secraret, „ut quantocius rescriberet et refelleret ab
 „animo suo scrupulum, diu anxieque insidentem, ut-
 „que resipisceret“²⁾, Berengarius tamen neque re-
 „spondit, nisi longo post tempore, neque resipuit.
 „Circa idem autem, ut videtur, tempus perscripsit
 „epistolam ad alium amicum, magis ipsi ingenio et
 „eruditione affinem et conjunctum, quae, ipso mi-
 „nime exspectante et suspicante, fax et turba belli
 „contra eum moti et malorum vitae ipsius princeps
 „causa fuit. Accepisse se, scribit, *Lanfrancum* hae-
 „reticas habere Joannis Scoti de sacramento altaris
 „sententias, in quibus dissentiat a Paschasio, indignum

¹⁾ edit. Schmid. p. 7 sq.

²⁾ l. c. p. 33.

„id esse ejus ingenio; „si haereticum, ajebat, habes
 „Joannem, cujus sententias de eucharistia probamus,
 „habendus tibi est haereticus Ambrosius, Hierony-
 „mus, Augustinus“¹⁾. Quid ipse senserit de sacra
 „coena Berengarius, ex hac epistola haud constat,
 „cum nec ipsius Joannis Scoti sententia satis cognita
 „sit, Paschasii autem de transsubstantiatione doctrinam
 „ipsum reiecissee, satis aperte prodit. Lanfrancus
 „deinde *Romam* profectus est, amicum propter
 „opinionem, in privatis litteris depositam, apud Leo-
 „nem IX. haereseos accusavit, suae perfidiae prae-
 „textum ex eo quaerens, quod eadem litterae etiam
 „in aliorum manus et in his papae pervenissent at-
 „que suspicionem haereseos in se ipsum commo-
 „vissent. Hinc papa Berengarium in synodo *Ro-*
 „*mana*, lecta ejus ad Lanfrancum epistola, a. 1050
 „inauditum ob rejectam ecclesiae catholicae de eu-
 „charistia doctrinam damnavit et ecclesiae commu-
 „nionem privavit. Secuta est eodem anno synodus
 „*Vercellensis*, in qua papa audire Berengarium
 „constituerat, qui autem, a rege *Gallofrancorum*
 „in carcerem coniectus, comparere non potuit. Re-
 „citabatur liber Joannis Scoti, qui cum doctrina Be-
 „rengarii, absentis atque iterum inauditi, nemini as-
 „sidentium cognita, condemnatus est. Post hanc sy-
 „nodum scriptae sunt duae epistolae Berengarii, al-
 „tera ad Ascelinum, altera ad Richardum datae, utra-
 „que a Dacherio primum in lucem protracta²⁾.

¹⁾ Primus hanc epistolam ex codice manu exarato bibliothecae regiae Parisiensis Dacherius edidit in *Opp. Lanfranci*. Paris. 1648. p. 22. notar. ad vit. Lanfr.

²⁾ l. c. not. ad Vit. Lanfr. p. 24. et *Spicil. T. II.*

„Ascelinus quinam fuerit, non satis certum, sed fuisse
 „*Uticensem* seu monasterii *S. Ebrulfi* in *Normania*
 „monachum, Berengario coaetaneum, probabile est ¹⁾.
 „Ex epistola, ad eum perscripta, colligere licet:
 „1) etiam coetus virorum doctorum fuisse, qui cum
 „Berengario agerent, ipsumque refellere et ad com-
 „munem ecclesiae fidem de sacra coena reducere
 „studerent. Ipse Berengarius colloquii mentionem
 „facit, cui ipse cum Ascelino aliisque interfuerit, et
 „in quo de eucharistia disputatum sit; 2) Berenga-
 „rium tunc temporis in itinere fuisse ad synodum,
 „ut causam suam defenderet. Scribit enim: „Per
 „vos igitur transiens disposueram, omnino nihil agere
 „cum quibuscunque de eucharistia, priusquam satis-
 „facerem in eo episcopis, ad quos contendebam, se-
 „cundum evangelicam atque apostolicam scripturam;
 „inde factum est, ut nihil pene vobis opposuerim,
 „nihilque consenserim in colloquio illo. — Et nunc
 „quod apud episcopos agere susceperam, vellem, si
 „mihi tutum fieret, saltem apud vos agere.“ — De
 „quam autem synodo loquatur, dubium est; 3)
 „fuisse Guilielmum quendam, hujus coetus sodalem,
 „qui post colloquium Berengarium ferebat damnasse
 „Joannem Scotum tanquam haereticum, quod ipse
 „negat et pernegat. „Ut ergo ad rem veniam, au-
 „divi nunc jactitare Willelmum, quod negare ne-

¹⁾ De eo Ordericus Vitalis hist. eccl. T. VI. p. 623 ita: „Ascelinus senex Uticensem eremum cum paucis pauperibus incolis incoluit et Ascelinum nepotem — aliosque pueros enutrivit, et communes literas, ut in illo loco quotidianum Dei servitium exsolverent, docuit.“ Alium Ascelinum, Pictaviensem, ipse Berengarius commemorat in epistola ad Richardum.

„quiverim, haeticum esse Joannem Scotum. Quod
„falsum esse testis mihi es, si satis meministi verbo-
„rum meorum, quamvis haeticum habeas tu quo-
„que Joannem Scotum. — Verba autem mea de
„Joanne haec fuerunt, non pervidisse omnia illius,
„sicut etiam nunc verum est. Quae autem vidissem
„ad eam rem pertinentia, recitare me posse ex scri-
„ptis illorum, quos praefixeram, habendos esse hae-
„reticos, in epistola ad Lanfrancum, si Joannes ille
„haeticus haberetur. Ceterum, si quid in illo vi-
„derem non satis delimatam, facile me improbatu-
„rum esse — haec et vere dicebam et in nullam
„excussionem ex transitu venire contendebam pro-
„pter causam superius dictam. — Obsecro per no-
„men domini, ne falsum testem te facias, quod Jo-
„annem illum ego damnaverim.“ — Epistolam ipsam
„post concilium *Vercellense* scriptam, responsio
„Ascelini ostendit, ubi ita: „Pudeat te patrocinari
„librum, quem *Vercellis* in plenaria synodo damna-
„tum, te quoque propter eum haeresis macula nota-
„tum audivimus.“ In altera epistola, Richardo ab-
„bati inscripta, supplicat, velit apud regem Henri-
„cum III., a quo tum libertate, tum beneficio eccle-
„siastico privatus erat, verba pro ipso facere, ut
„damnum ipsi illatum compenset. Quod si fieri
„non possit, hoc unum rogat, ut ipsi permittatur,
„regi ex ipsis scripturis sacris demonstrare, injustis-
„sime damnatum esse Joannem Scotum, nec majori
„jure assertam sententiam Paschasii Radberti in
„concilio *Vercellensi*. Quod ut eo facilius a rege
„impetraret, monet, Scotum librum de eucharistia

„scripsisse adhortante atque jubente rege Carolo,
„viro aequae strenuo ac religioni devoto, qui cavere
„voluerit hoc libro, ne inepta Paschasii opinio prae-
„valeret. „Erudito, inquit, Joanni illi imposuit colli-
„gere de scripturis, quae ineptiam illam converte-
„rent. Unde ferat oportet (rex) defuncto patrocini-
„um contra calumnias nunc viventium, ni se malit
„exhibere indignum successione et sede illius magni-
„fici antecessoris sui, qui etiam circa negotium intel-
„ligendarum scripturarum sollicitus, ab erudito viro,
„non ad tenebrandum veritatis lumen, tale exegit
„obsequium.“ Vides Berengarium hucusque non in
„eo fuisse occupatum, ut propriam et novam de sa-
„cra coena sententiam, sed ut eam, quae Joannis
„Scoti fuit, defenderet, ab haereseos crimine vindi-
„caret ac vulgari opinioni praeferendam esse do-
„ceret.

„Post hoc tempus Berengarius in conciliis *Tu-
„ronensi* et *Romano secundo*, minis territus ac
„mortis timore oppressus, bis formula ipsi prae-
„scripta sententiam vel vere suam vel cuius ipsum
„accusabant, ejuravit, neque tamen minus istam po-
„stea professus est. Eandem etiam scriptis exposuit,
„quae deperdita sunt, sed ex quorum uno, quo sy-
„nodum *Romanam secundam*, papam Nicolaum II.
„et cardinalem Humbertum maxime exagitat, Lan-
„francus in libro de corpore et sanguine domini
„adversus Berengarium Turonensem, locos haud
„paucos attulit. Hos locos, qui a Lanfranco eodem
„ordine citantur, quo in libro Berengariano seque-
„bantur, age in medium afferamus et colligamus,

„ut de hujus scripti argumento ac tenore judicari
„possit.

„Lanfr. c. 2. Scriptum *Humberti Burgundi*, quem
„fecerant *Romae* episcopum Cardinalem,
„quod scripsit contra catholicam veritatem,
„quod inferius patebit, ut cogeretur illud Be-
„rengarius, et quasi profiteri errorem ineptis-
„simi *Burgundi*.

„Anathematizo omnem haeresin, praecipue
„eam, quae astruere conatur, panem et vi-
„num, quae in altari ponuntur, post conse-
„crationem solummodo sacramenta esse et
„non verum corpus Christi et sanguinem ¹⁾).

„— c. 3. Apparet, quia lux in tenebris lucet et
„tenebrae eam non comprehenderunt.

„Quia veritatis inimicus, velit nolit, verita-
„tem asserat.

„Quia sicut Goliath proprio *Burgundus*
„ense depereat.

„— c. 4. Erat autem *Burgundus* in sententia,
„immo vecordia vulgi, Paschasii atque Lan-
„franci, minime superesse in altari post con-
„secrationem substantiam panis atque vini.

„Quam sententiam superioribus suis verbis
„ille ipse deiecit, nec attendit.

„— c. 5. Qui enim dicit, panis et vinum altaris
„solummodo sacramenta sunt: vel panis et
„vinum altaris solummodo sunt verum Christi

¹⁾ Citaverat Berengarius formulam, qua suam ipse haeresin damnaverat.

„corpus et sanguis, modis omnibus panem
 „et vinum superesse constituit.

„Lanfr. c. 6. Sicut enim qui dicit: Christus est sum-
 „mus angularis lapis, Christum non aufert,
 „Christum esse omnino constituit; ita qui di-
 „cit: panis altaris solummodo est sacramen-
 „tum, vel: panis altaris solummodo est ve-
 „rum corpus Christi, panem in altari esse
 „non negat, panem et vinum esse confirmat
 „in mensa dominica.

„—— c. 7. Non enim constare poterit affirmatio
 „omnis, parte subruta, et hoc, sicut dicit
 „beatus Augustinus in libro de doctrina chri-
 „stiana, in ipsa aeternitatis veritate, quae
 „Deus est, indissolubiliter constat.

„—— c. 8. Est autem affirmatio notissimis suis
 „partibus constans, praedicato et subjecto,
 „quae ita enuntiat: panis et vinum, quae in
 „altari ponuntur, sunt solummodo sacra-
 „menta; nihilominus quae ita enuntiat: panis
 „et vinum, quae ponuntur in altari, post
 „consecrationem solummodo sunt verum
 „Christi corpus et sanguis.

„Susceperat autem *Burgundus* negare pa-
 „nem et vinum in mensa dominica super-
 „esse. Hoc minime negat, immo omnino
 „panem et vinum esse confirmat.

„Dum ita enuntiat: panis et vinum, quae po-
 „nuntur in altari, post consecrationem solum-
 „modo sunt verum Christi corpus et san-
 „guis.

- „Lanfr. c. 9. Per consecrationem altaris fiunt panis
 „et vinum sacramentum religionis, non ut
 „desinant esse, quae erant, sed ut sint, quae
 „erant et in aliud commutentur, quod dicit
 „beatus Ambrosius in libro de sacramentis.
- „—— c. 10. Sacrificiumque ecclesiae duobus con-
 „stat, duobus conficitur, visibili et invisibili
 „sacramento et re sacramenti, quae tamen
 „res i. e. Christi corpus, si esset prae oculis,
 „visibilis esset; sed elevata in coelum, sedens-
 „que ad dexteram patris usque in tempora
 „restitutionis omnium, quod scribit apostolus
 „Petrus, coelo devocari non poterit, sicut
 „Christi persona Deo constat et homine.
- „—— c. 11. Unde beatus Augustinus in evange-
 „lio: quando Christus manducatur, vita man-
 „ducatur. Nec quando manducamus, partes
 „de illo facimus.
- „—— c. 12. Unde beatus Augustinus in libro de
 „civitate Dei, sacramentum est sacrum signum.
 „Signum diffinit in libro de doctrina chri-
 „stiana: signum est res praeter speciem, quam
 „ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens
 „in cogitationem venire.
- „—— c. 13. Augustinus in epistola ad Bonifacium
 „episcopum: si sacramenta rerum, quarum
 „sacramenta sunt, similitudinem non haberent,
 „omnino sacramenta non essent. Idem de
 „catechizandis rudibus: signacula quidem re-
 „rum divinarum sunt visibilia, sed res invi-
 „sibiles in eis honorantur. Nec sic habenda

„est species benedictione sanctificata, quem-
„admodum habetur in usu quolibet.

„Lanfr. c. 14. Unde beatus Augustinus in epistola
„ad Bonifacium: sicut, inquit, sacramentum
„corporis Christi secundum quendam modum
„corpus Christi est, sacramentum sanguinis
„Christi secundum quendam modum sanguis
„Christi est, ita sacramentum fidei fides est.

„—— c. 15. Beatus Augustinus in epistola ad Bo-
„nifacium: semel immolatus est Christus in
„semetipso, et tamen in sacramento non so-
„lum per omnes paschae solemnitates, sed et
„omni die populis immolatur.

„—— c. 16. Consentio, inquit *Burgundus*, sanctae
„*Romanae* ecclesiae. Revera non sanctam
„ecclesiam experta est veritas ipsa, sed eccle-
„siam malignantium, concilium vanitatis, nec
„apostolicam, sed sedem sathanae.

„—— c. 17. Quis enim aut ratione concipiat, aut
„per miraculum fieri posse concedat, panem
„frangi in Christi corpore, quod post resur-
„rectionem tota viget incorruptibilitate, et
„usque in tempora restitutionis omnium coelo
„manet indevocabile.

„His locis caput omnium, quae Berengarius
„contra synodum Romanam scripserat, contineri,
„nullum dubium est. Assurgebat deinde Lanfrancus
„et peculiari libro non solum horum locorum argu-
„mentum refellebat, sed etiam fidem ecclesiae catho-
„licae de sacra coena exponebat et auctoritatibus fir-
„mabat atque opinionem adversarii compendiose ex-

„plicabat et paucis testimoniis brevibusque rationibus improbabat¹⁾. Diu communis, immo unanimitis fuit opinio, Berengarium non solum nullam huic scripto responsionem opposuisse, verum etiam per ipsum, tanquam praestantissimum et quod refelli nullo modo posset, de veritate doctrinae catholicae convictum fuisse; qua victoria magnopere gloriati sunt omnes fidei transsubstantiationis addicti. Constabat autem, Berengarium bis in synodis Romanis, annis 1078 et 79 habitis, ad confessionem fidei orthodoxae de sacra coena adactum²⁾, neque tamen minus etiam postea priorem sententiam professum fuisse. Ut itaque conciliarent, quae contraria sibi esse videbantur, probare studuerunt, librum Lanfranci anno demum 1079 exeunte aut sequente, igitur post ultimam Berengarii palinodiam editum fuisse³⁾. Quae si ita erant, fieri sane poterat, ut tandem Berengarius libro Lanfranci victus fidei catholicae ita redderetur, ut non amplius ab ista recederet. Sed satis demonstravit Lessingius, vir non minus eruditus, quam ingeniosus, falsa haec esse, librumque Lanfranci jam medio inter annos 1063 et 1070 intervallo exaratum esse, quod ipsum Berengarii scriptum, quo refutare Archiepiscopum *Cantuariensem* conatus est, inter codices

¹⁾ de corp. et sang. dom. in Lanfranci opp. ed. Dacherii p. 230 — 251.

²⁾ Cf. Acta concilii Romani, sub Gregorio VII. in causa Berengarii ab ipso Berengario conscripta, cum ipsius postea recantatione in Martenii et Durandi Thesaur. nov. anecdot. IV. 103 sqq.

³⁾ Egerunt id imprimis auctores libri: Hist. liter. de France T. VIII. 212 sqq. 279 — 282.

„*Weissenburgenses*, in bibliotheca *Guelferbytana*
 „asservatos, feliciter detexit ¹⁾. Hunc ille codicem,
 „nunquam antea cognitum, libro publice edito cru-
 „ditis annuntiavit et descripsit, et ex hoc scripto Be-
 „rengarii ipsius historiam luce plane nova circum-
 „fudit. Erant tamen in libro caeteroquin egregio
 „nonnulla, quae desiderari poterant, et quae, quan-
 „quam paucis tantum, eo confidentius hoc loco an-
 „notamus, cum idem codex felici casu in manus no-
 „stras inciderit. *Primum* itaque Lessingius neque
 „codicem, neque, quod ipse fatetur, ipsius libri ar-
 „gumentum et rationem satis accurate descripsit.
 „Temere etiam statuit, ea quae in margine aut in
 „schedulis assutis adscripta sunt, ab alia et seriore
 „manu addita esse. *Deinde* quoscunque ille locos
 „ex scripto Berengarii ad confirmandam et illustran-
 „dam ejus de sacra coena sententiam attulit, parum
 „ad rem faciunt, et insunt omnino multi alii loci,
 „ex quibus ea accuratius describi ac finiri potest.
 „*Accedit* quod locos allatos ex parte negligenter
 „citavit, nec recte legit ²⁾, nec paginas, ubi in codice
 „manuscripto leguntur, indicavit ³⁾. Sunt etiam loci,
 „ex codice allegati, parum recte a Lessingio intel-
 „lecti. Huc pertinet, quod Berengarius inquit, *Re-*

1) Berengarius Turonensis, oder Ankündigung eines wichtigen Werks desselben, wovon in der herzoglichen Bibliothek zu Wolfenbüttel ein Manuscript befindlich, welches bisher völlig unerkant geblieben. Braunschweig 1770.

2) Monstravit id pluribus exemplis C. A. Schmidius in Beitr. zur Gesch. und Literat. V. 257 sq.

3) Huic defectui medetur Schmidius l. c.

„gem *Franciae ecclesiae, cujus ipse clericus fuerit, abbatem fuisse*, et Lessingius de rege tanquam primo ecelesiae Gallicae universae clerico, illiusque in ea juribus interpretatur ¹⁾. Non solum autem ipse in eodem libro locum affert ex Fleurio, quo rex *Franciae* dicitur abbas St. Martini *in Turono* fuisse ²⁾, sed satis etiam constat, reges *Franciae* ad nostram usque aetatem canonicos ecclesiarum *Lugdunensium, Andegaviensium* aliarumque fuisse. Addimus, quod Lessingius argumentis tum e codice manuscripto tum aliunde petitis demonstrare voluit, concilium, quod ferunt *Parisiis* anno 1050 contra Berengarium habitum fuisse, ad fabulas esse referendum ³⁾. Et negandum haud est, esse nonnulla, quae dubiam reddant hanc synodum, eosque, qui eam vere convocatam esse defendunt, non facile omnibus sese difficultatibus expedire posse. Verum omnem synodum ementitam esse, haud consequitur. Sunt potius gra-

¹⁾ Bereng. Turon. p. 126 sq. Berengarius nennt den König *den Abt seiner Kirche*. Es könnte dies wohl auch einem Leser auffallen, dem das Verhältniss, in welchem ein König von Frankreich mit der Kirche seines Reichs steht, sonst nicht unbekannt wäre. Ich glaube aber nicht, dass Berengarius mehr damit sagen wollen, als in späteren Zeiten der Erzbischof von *Rheims*, Ursinus, wenn er Carl VII. den ersten Geistlichen und Prälaten der französischen Kirche nannte (Dupuy sur le traité de Pithou p. 33). Was der König in Betrachtung der Kirche überhaupt ist, das ist er ja wohl um so viel mehr in Ansehung einer jeden einzelnen Kirche insbesondere.

²⁾ l. c. p. 139. Comme le roi étoit abbé de St. Martin de Tours, il donna ordre d'ôter à Berenger le revenu qu'il tiroit en qualité de chanoine de cette église. Hist. ecl. XII. 541.

³⁾ l. c. p. 130 — 143.

„via argumenta, quae pro ipsa pugnant, nec ab ipso
 „Lessingio refutata, testimonia scilicet duumvirorum
 „eadem cum Berengario aetate viventium, Durandi,
 „abbatis Troarnensis ¹⁾ et Deoduini, episcopi Leo-
 „diensis ²⁾. Falsa quidem et erronea nonnulla in
 „narratione prioris scriptoris inesse, Lessingius satis
 „docuit, minime autem, rem omnem fictam esse,
 „nec excogitari potest ulla ratio, quae permoverit
 „scriptorem maxime *eiusdem aevi*, ut ementiretur
 „synodum nunquam celebratam. Deoduini autem
 „epistolam cur supposititiam habeat Lessingius, ipse
 „nunquam exposuit rationes.

„Annuntiamus itaque hac occasione data brevi
 „tempore editionem libri Berengarii ex codice *Guel-*
 „*pherbyto* in bibliothecam academiae *Georgiae Au-*
 „*gustae* translato comparituram, tum ut liber per
 „se memorabilis pateat usui eruditorum et deside-
 „riis eorum, qui sunt harum rerum periti, tandem
 „satisfiat, tum ut de doctrina Berengarii certius et
 „rectius, quam antea factum est, indicari possit, tum
 „ut ipsius, aliorumque aequalium historia, multis
 „partibus adhuc obscura, novam inde lucem acci-
 „pere possit. Addemus ipsi, quantum horum tem-
 „porum ratio permittit, quae ad ornandum, illu-
 „strandum utilioreque rei literariae reddendum li-
 „brum facere poterunt ³⁾.

¹⁾ de corp. et sanguine Christi contra Berengarium, ad cal-
 cem Opp. Lanfranci et Dacherii p. 107.

²⁾ Epistola ad reg. Francor. Henric. Legitur inter alios apud
 Mansium Collect. Concilior. XIX. 783 sq.

³⁾ Nescimus tamen hucusque, an praestare poterimus omnia,
 quae exoptat Schroeckhiius in Hist. eccl. XXIII. 535. ver-

„Postquam librum adversus Lanfrancum exarasset Berengarius, respondit etiam Adelmanno vel potius commentationem ipsi inscriptam elucubratus est, cujus nonnisi fragmentum ad nos pervenit. Eam hoc demum tempore conscriptam esse, tum ex eo inferimus, quod Lanfranci, tanquam hominis, qui Paschasii opinionem suam publice fecerit, mentionem facit, tum inde, quod hujus epistolae fragmenta reperta in codice *Gemblacensi* leguntur ibi ad annum 1078¹⁾. Etiam hic suam ille sententiam defendit atque inter alia ita explicat: „Constat *verum Christi corpus* in ipsa mensa proponi, sed *spiritualiter, interiori homini, verum in ea Christi corpus, ab his duntaxat, qui Christi membra sunt*, incorruptum, intataminatum, inatritumque, *spiritualiter manducari.*“ Sed etiam haec ex libro adversus Berengarium, cujus editionem paramus, clariorem lucem accipient.“

P. P. Vigil. Paschal. d. 9. April. 1814.

bis sequentibus: „Berengarius erinnert, dass Lanfranc, indem er von einer Verwandlung spricht, dieselbe genauer hätte bestimmen sollen, indem es mehr als Eine gebe. Ob er aber nun selbst alle solche Zweideutigkeiten vermieden habe, lässt sich nur aus der Uebersicht seiner ganzen Schrift erkennen. Desto mehr verdiente dieselbe ans Licht gestellt zu werden, aber auch um Ausländern, welche Lessings Bekanntmachung nicht lesen konnten, diese wichtige Entdeckung gleichsam in die Hände zu geben. Andere zu diesen Streitigkeiten unmittelbar gehörige Urkunden müssten damit in Eine Sammlung verbunden, und aus allen diesen und anderen Quellen müsste eine recht im eigentlichen Verstande neue Geschichte Berengars geschrieben werden.“

¹⁾ *Primum* in lucem protracta sunt ab editoribus *Thesauri anecdotor. Martenio et Durando* IV. 109—113. repetita et notis instructa a Schmidio post *Adelmanni epist.* pag. 34. — 45.

Deinde omnino de vita scriptisque Berengarii latius disseruit et manuscriptum a Lessingio repertum descripsit Staeudlin: Archiv für alte und neue Kirchengeschichte, herausgegeben von Stäudlin und Tzschirner. II. Band. Erstes Stück. Leipz. 1814. p. 1. Berengarius Turonensis von C. F. Stäudlin. Totum librum postea editurus erat, quam singulorum programmatum serie codicis antiqui dedisset specimen. A quo incepto et medio opere morte avocatus, quod eruditis promiserat, exsolvere nequivit. Excepit opus D. Hensen, theologiae in Georgia Augusta professor. Qui postquam MS. usque ad pag. 144. in programmatibus academicis ediderat, ipse defunctus nobis, sororis Staeudlini filii et Hemsenio affinibus, desideria doctorum reliquit explenda. Accepimus manuscriptum Staeudlini, codicis Guelferbytani exemplum, et cum ipso codice, a custode bibliothecae Guelferbytanae nobis misso, iterum comparavimus, nonnulla minus recte exscripta emendavimus, aliquot locis literas in codice passim fere extinctas adhibita tinctura restituvimus, et editionem libri curavimus.

Addimus pauca de ipsius codicis indole et de nostra rem tractandi ratione. Illa ut cognoscatur, apponimus locum: Archiv für alte und neue Kirchengeschichte. II. Band. I. Stück. Berengarius Turonensis von C. F. Stäudlin p. 64.: „Es ist eine schöne, alte, auf Pergament geschriebene Handschrift. Anfang und Ende fehlen, viel aber kann im Ganzen nicht fehlen, wie man aus Vergleichung des Werks von Lanfrancus, welchem der Verfasser

selbst Schritt vor Schritt folgt, sieht. Die Seitenzahlen haben keine Beziehung auf das Fehlende und gehen von 1 bis 228, sind also wohl von späterer Hand, als das Manuscript selbst. Nach Seite 168 ist offenbar ein Blatt ausgerissen, und doch folgt nachher S. 169. Jede Seite hat genau 26 Linien, mit wenigen Ausnahmen. Auf dem Rande und auf kleinen angehefteten Zetteln finden sich Zusätze und Noten. Schwerlich sind diese, wie Lessing meint, von einer andern und späteren Hand, sondern sie sind nur kleiner geschrieben. Es finden sich häufig kürzere oder längere Querstriche, zuweilen auch leere Räume, aber weder das Eine noch das Andere zeigt an, dass etwas fehle. Der Name Johannes Scotus ist durchaus zum Theil ausgekratzt und steht gewöhnlich so da: ioh. S. Sowohl dadurch, als durch die Entfernung oder Zerstörung der ersten und letzten Blätter wollte man diese Schrift als Werk des Ketzers Berengarius, welches die Lehre des nicht geringeren Ketzers Scotus enthalte, unkenntlich machen. Der Text geht in Einem fort; wo ein neuer Abschnitt anfängt, d. h. wo Berengar eine neue Stelle aus seinem Werke anführt, um hernach die entgegengesetzte Stelle Lanfranks anzuführen und sie zu widerlegen, findet sich das Zeichen *I*. Seine eigenen Stellen citirt er gewöhnlich mit den Worten: *ubi ego scripsi*, — die seines Gegners so: *inquis tu*, — seine Widerlegung fängt er immer so an: *inquo ego*.

Lessing sagt, es habe alles Ansehen, dass das

Manuscript noch in dem eilften, längstens zu Anfang des zwölften Jahrhunderts geschrieben worden sei. Mit dieser Vermuthung stimmen nicht nur die Charactere, sondern auch die röthlich gewordene Farbe derselben überein. Furchtsam wage ich die Vermuthung, dass es das eigenhändige Manuscript Berengars sein möchte. Es sieht in vielen Stellen wirklich so aus, wie die Handschrift eines Autors, welcher austreicht, verbessert, hinzusetzt, Ausgelassenes nachholt, und es revidirt hat. S. 62 ist ganz ausgestrichen, unerachtet sie in den Text passen würde. S. 129 ist eine Stelle durchstrichen und auf den Rand gesetzt: mutandum, wie wenn sich der Verfasser vorgesetzt hätte, sie in der Folge noch zu ändern. Doch hierüber mag der Leser selbst urtheilen, wenn ich ihm einst das Manuscript ganz in seiner ursprünglichen Gestalt im Drucke vorlegen werde. Die Schrift ist an Lanfranken gerichtet, doch wird zuweilen, z. E. S. 121, 126 von ihm auch in der dritten Person gesprochen. Der Anfang der Schrift bezieht sich auf das Ende des zweiten Capitels bei Lanfrank. Was bei diesem vorhergeht, enthält Vorwürfe gegen Berengar eine Ehrenrettung des Humbertus, die ganze Glaubensformel, welche jener auf der letzten Synode zu Rom abgelegt und beschworen hatte, einige historische Züge von jener Synode. Das zweite Capitel selbst schliesst mit den Worten: Nicolaus papa gaudens de conversione tua iusiurandum tuum scriptum misit per urbes Italiae, Galliae, Germaniae, et ad quaecunque loca fama tuae pravitatis antea

potuit pervenire, ut, sicut ecclesiae scandalizatae prius dolebant de te a veritate averso, atque ita postea gauderent, gratiasque Deo agerent de reverso et converso. Cur ergo scriptum hoc magis ascribitur Humberto episcopo, quam Nicholao pontifici, quam ejus Concilio, quam denique omnibus ecclesiis, quae id cum debita reverentia susceperunt? Cur, inquam, nisi quia facilius persuades imperitis, potuisse unum hominem errare, quam tot personas, tot ecclesias? Tibi vero si ascripsisses, cum ipsum destruere moliaris, perjurum te esse astruere videreris. Auf diese Stelle bezieht sich der Anfang der Schrift Berengars, so weit wir sie übrig haben. Auf der ersten und zu Anfang der zweiten Seite sind mehrere Worte verblichen. Auf der letzten sind gleichfalls einige Worte unleserlich geworden. Sonst habe ich Alles richtig herausgebracht. Berengar führt die Stellen aus seinem früheren Buche, welche Lanfrank angeführt und bestritten hatte, hier gleichfalls wieder an. Wenn der Text bei beiden nicht durchaus übereinstimmt, so kommt dieses wohl nur daher, weil er von dem einen oder andern, wie es zu dem gegenwärtigen Zwecke hinreichend war, zum Theil auch abgekürzt angeführt wird. Ebenso ist es auch mit den Stellen, welche Berengar aus Lanfranks Schrift citirt, sie stimmen nicht durchaus wörtlich mit dessen Texte überein, daraus aber darf man keine Varianten für den Text hernehmen. Die Anführungen aus dem Texte dauern übrigens nicht durch das ganze Buch fort, ohngefähr von der

Mitte an hören sie theils auf, theils sind sie nicht mehr so vollständig und genau, da hat es aber auch Berengar mit den Stellen zu thun, die sein Gegner aus den Kirchenvätern allegirt hatte, er beschäftigt sich damit, sie anders zu erklären, und ihnen eine Reihe anderer Stellen entgegenzusetzen. Am längsten hält er sich bei der Lehre des Ambrosius auf. Zuletzt sucht er zu zeigen, dass schon das Gebet im Messbuche die Meinung Lanfranks, welcher sich gleichfalls auf dasselbe berufen hatte, widerlege. Er bemüht sich durchaus, recht deutlich und bestimmt zu sein, aber eben daraus entstehen bei ihm die vielen Wiederholungen, die langen, schwerfälligen Perioden und durch das ängstliche Streben nach Deutlichkeit wird er oft nur schwerer zu lesen und unverständlicher. Der Styl hat oft eine gewisse Originalität, hie und da ist er aber auch incorrect. Hac für ac, ortus, ad-ortatur, oratius für hortus, adhortatur, Horatius. Secuntur für sequuntur. Man liest obtulit und optulit, babtismus und baptismus, obicere und obii-cere, deicere und deiicere, melchisedech und mel-chisedhec. Das j kommt gar nicht vor, sondern immer i. Statt catechizare immer catezizare. Gewisse Lieblingswörter kehren alle Augenblicke wieder; am häufigsten wohl vecordia, um Lanfranks Meinung zu bezeichnen, und indissimulabiliter: un-streitig, offenbar. Transsubstantiatio findet sich nicht, und für substantia steht subiectum oder essentia.

Man kann das Werk scholastisch nennen, und es ist auch von einem Scholasticus geschrieben.

Zwar hat es nicht gerade die gewöhnliche, scholastische Form, welche fragend, entgegensetzend, disputirend, auflösend ist, allein im Wesentlichen kommt doch diese auch vor, denn zuerst steht gewöhnlich ein Satz Berengars aus seiner früheren Schrift, darauf Lanfranks Gegensatz, hernach wiederum des ersten Antwort; ausserdem wird auf dieselbe Weise Gebrauch von der Philosophie in der kirchlichen Theologie gemacht, wie in den Schriften der Scholastiker, es finden sich ächt scholastische Unterscheidungen und Feinheiten. Uebrigens ist Berengar ein besserer Exegete, als sonst die Scholastiker, er giebt manche treffliche Erklärungen biblischer und patristischer Stellen. Mehrere Punkte seiner eignen Geschichte, welche von andern entstellt waren, setzt er hier in ihr wahres Licht. Hinten bricht die Handschrift in dem Beweise ab, dass die Messgebete gleichfalls zur Widerlegung der Meinung Lanfranks dienen können.“

Ipsius Berengarii manu scriptum esse codicem falso coniecit Staeudlin. Nam plurimis locis et singula verba adeoque enuntiationis partes in ipso contextu praetermissae in margine vel schedulis asputis afferuntur, quas, ad ordinem et comprehensionem verborum omnino necessarias, nequaquam ipse auctor, tantum scriba negligens et a sententia, quae exponitur, prorsus alienus poterat omittere. Quare etiam Gieseleri conjectura (Lehrbuch der Kirchengeschichte. II. Band, erste Abtheilung), ex altera duarum libri editionum manuscriptum nostrum descriptum, secundum alteram emendatum

esse existimantis, non sufficit. Videtur potius scriba aliquis ipsius quidem Berengarii Ms. cum notis ab ipso auctore allatis ante oculos habuisse, sed cum per negligentiam multa omisisset et mendose scripsisset, suas insuper notas, quibus se ipse corrigeret, addidisse.

Apographo, quod Staeudlin descripsit, iterum cum ipso codice comparato, nobis reliquum erat, ut interpunctionem, tum ab ipso auctore propter periodorum longitudinem et solutius dicendi genus negligenter adhibitam, tum a scriba illius codicis identidem prorsus corruptam restitueremus. Verumtamen illa subtiliori, qua nos utimur, interpungendi regulae, non nisi destruendo, quem auctor posuit, verborum ordine poterat adaptari. Passim signum parentheseos ponendo in nimis implicito orationis ambitu lectori succurrimus. Signis allegationis identidem quidem expediri posse videbatur periodorum difficultas, sed tam multa citantur, ut nimis cumulando haec signa res etiam molestior evasura sit. Ceterum nihil omnino in Ms., nisi parvas literas, quibus nomina propria incipiunt, in magnas mutavimus. Verba contra omnem regulam scripta, ex. gr. suficere, prophanare, cotidie, nichil, autenticus, babtismus, — primum correcturi, tamen quo facilius lector totam libri rationem inspiceret, immutata reliquimus, nonnisi mendis explanatis, quibus verborum intellectus impeditur, ut: desiria pro: de Syria. Identidem, ubi scriba errasse videbatur, quomodo nos legendum putaremus, appositis notis exposuimus. Numeri uncis inclusi indi-

cant paginas codicis. Spatium vacuum aliis locis indicat, in ipso codice verba evanuisse, cf. pag. 12., aliis, quod e contextu verborum patet, cum signo lineae — conjunctum ab ipso auctore pro: et cetera positum est.

De ipsa doctrina in libro nostro exposita, ac de vita Berengarii rebusque ad eum in ecclesia illo tempore pertinentibus, cum uberior disquisitio videatur necessaria, disserendi hic non locus. Exoptamus, in medium proferentes hunc librum, ut operae pretium se fecisse persuasum habeat, qui, quae ardua et difficilia occurrunt, voluerit superare. Inveniet praeter argumenta ad taedium usque repetita sophisticas artes, ingenium promptum, sui simile, verae arti dialecticae assuetum, praeter convicia non indignam Socrate ironiam, multa, quae nuper theologi, nova se promere existimantes, docuerunt, antiquis illis temporibus cognita, res illa aetate in ecclesia gestas atque theologiae et controversiarum indolem novam in lucem evectas, inveniet denique, unde rem, de qua agitur, ipse melius possit perspicere suumque iudicium excolere et confirmare.

Editores:

Aug. et Friedr. Vischer.

Goettingae Febr. 1833.

(1) **E**tiam Nicholaum illum nulla sacerdotio suo digna eminuisse yigilancia, sique mansuetudine christiana actum mecum fuisset, audire eum a me debuisse, si me ab ecclesia aversum, vel ecclesiae adversum reputavisset, quod ego in eo nunquam adverti. Fletum pro te, quia erras, insiste; noli flere super me. Si autem de me, quasi converso et reverso, gaudium simulasset, de te potius contristare averso audire debuisset. Inquis tu: cur ergo hoc scriptum magis Humberto asscribis, quam tibi, quam Nicholao, quam concilio, quam omnibus ecclesiis, quae illud cum reverencia scriptum susceperunt? Inquo ego: hic, sicut dicit Oratius, pondus nugis addere voluisti. Vana enim nulliusque ponderis in hac interrogatione consideratio tua. Interrogas, cur magis Humberto, quam mihi scriptum illud asscribam? Iustissime id quidem, quia Humbertus auctor scripti erronei fuit, ego in corde errori non ad-sensi. Manu, quod mendaciter ad te pervenit, non subscripsi, nam ut de consensu pronunciarem meo,

nullus exegit; tantum timore praesentis iam mortis scriptum illud, absque ulla conscientia mea iam factum, manibus accepi. Magis etiam Humberto, quam Nicholao asscribendum fuit, quia, etsi ambo, cum coecus coeco ducatum praebet, cadunt in foveam, minor tamen in sequente coeco, quam in eo, qui de ducatu coecus praesumpsit, fuerit culpa, ac per hoc, cum in hoc errore Humberti consenserint ecclesiae, quas dicis, et Nicholaus ille, ad calumniam meam ibi papa, cum simul sint dampnandi, qui in errorem mittunt et qui errant, capitalius tamen dampnandi sunt, qui errant et mittunt in errorem, quam qui missi in errorem errant. (2) Unde ipsa veritas, vae homini, inquit, per quem scandalum venit: quo dicto etiam illos, qui consenserint illi, per quem scandalum venit; „vae“ minime deserit. Sed nec scandalum semper eodem est examine metiendum; cum enim dicit evangelista, scandalizatos Iudaeos, ubi audierunt dominum dicentem: antequam Abraham fieret, ego sum, nullum vae ipsi domino putandus est asscripsisse, quia Iudaeos scandalizavit; et si quid ex scripturis affero, quod habeat veritas ipsa, unde scandalizentur in ecclesia, ut ad calumniam meam scribis, si qui in ecclesiis etiam nunc dicunt domino Deo: scientiam viarum tuarum nolumus, non grana, sed paleae, longe a me est evangelicum illud „vae,“ non longe illud, quod dicitur: beati eritis, cum vos oderint homines, et reliqua. Nec reverentiam dicere debuisti, quam ei, qui se in errorem mittit, exhibet aliquis, veriusque erat, nominare ecclesias eos, qui

per infinita terrarum spatia gavisī sunt, gaudent, gaudebuntque pro veritate per me propicia divinitate asserta. ———

Cur, inquis tu, nisi quia facilius persuades imperitis, potuisse unum errare, quam tot personas, tot ecclesias, tibi vero si scriptum adscripsisses, cum ipsum destruere moliaris, te ipsum perjurum astruere videreris? — Vae prophetis, inquit ego, qui prophetant de corde suo! Tu secundum non bene affectum erga me cor tuum interpretaris, voluisse me imperitis persuadere, quia superstitē te adhuc vivit vox illa: in beelzebue(b) principe demoniorum eiicit demonia; sed quidquid calumpniose secundum cor tuum scripseris, ego de ipsius evidētia veritatis causam meam superius posui. Imperitiam his, qui mihi convixerunt, nimis arroganter attribuis. (3) Ego de veritate protestor, me maxime imperitos in hoc negotio declinasse, possemque, sicut superius non tacui, nominatim scribere, qui mihi adhaeserunt, quorum imperitia contra peritiam tuam in negotio isto, si mansuetudine agatur christiana, consistere esset sufficientissima. „Tot personas,“ scribis: sed personarum dominus acceptor non erat; nec ecclesiae dicendae fuerunt, quantum ad baptismi iterationem, etiam in multa peritorum copia, ecclesiae Affricanae, quae tempore Agripini, tempore beati rebaptizabant Cipriani. Tibi, inquis, scriptum illud ascriberes; hoc plane erat, nugis addere pondus, nec cordati fuit hominis, dicere: si tibi adscripsisses, quod nullus omnium, nedum ego, mihi adscribere potuisset. Perjurum

te, inquis, astrueres. Ad hoc superius, quantum satis erat, respondi; hoc tantum dico: non fuit sapientis, non fuit satis moderatae prudentiae, et si non iuranda iurassem, penitentiaque ductus minime in iuratis perstitissem; exsecrando id periurio deputare; *iurare enim non iuranda, a Deo recedere est; desistere a iuratis contra ius, ad Deum redire*; nec Petrus, postquam iuravit, se non novisse Christum, Christi apostolus permansisset, si in iuratis contra ius persistere voluisset.

Ubi ego scripsi: apparet, quia *lux in tenebris* lucet et tenebrae eam non comprehenderunt, hoc, inquis tu, in te rectissime retorqueri potest; lucet enim lux fidei in tenebris huius mundi, quantum per speculum et in aenigmate possumus contueri. Verum hanc lucem tenebrosa mens tua nequit comprehendere, despectis ceteris putans, solam se sapientem esse, evanescens in cogitationibus suis stulta (4) facta apud Deum. Ut non dicam, inquit ego, non multae: nullius considerationis fuit, hoc scribere, retorqueri posse in me; quod dixeram, lucem in tenebris lucentem non comprehendi, nisi prius tota per te veritate constitisset, et tenebras fuisse, quod lucem dicerem, et quod tenebras, lucem. Quod autem scribis, lucem fidei per speculum et in aenigmate videri, multum contra illam est, quam tibi tantam scriptum tuum peritiam tribuit; constat enim etiam modicum in ecclesia eruditus, non dicere apostolum de puritate fidei, per quam itur, sed de evidentia rei, ad quam est perveniendum, illud, quod scripto tuo per speculum

et in aenigmate inseruisti. Si enim constaret ita homini de ipsa aeternitate, quae Deus est, qui melius in hac vita, ut ait b. Augustinus, nesciendo scitur, sicut constare apud eruditum fidelem oportet usquequaque, quid admittat fidei regula, quid excludat, quod usque eo non per speculum et in aenigmate, sed perspicua luce videbat apostolus, ut diceret etiam: si angelus de caelo aliud evangelizaverit, quam evangelizamus vobis, anathema sit, nunquam se videre dixisset per speculum et in aenigmate. Tenebrosam dicere mentem meam, facile erat illis, qui dixerunt luci ipsi: daemonium habes, sed utinam mens tua in hoc negotio nullas patiatur tenebras, ut mens mea tecum in domino luceat, secundum quod de se ipso apostolus dicit: iam sine nobis regnatis, et utinam regnetis, ut etiam nos vobiscum regnemus! Plane si ita se res haberet, nunquam temere aspernari superbiam meam ceteros iudicares, non enim tu ille eras, quem cordium occulta non lateant.

Ubi ego scripsi: quia (5) veritatis inimicus veritatem asserit, *parum, inquis tu, me attendere, quid dicam, dum servum Dei* illatis obprobriis in contemptum adducam. Notum illud, inquit ego, Oratianum tibi saepe proponi oportet: *ingeniis non ille favet, plauditque sepultis, nostra sed impugnat, nos nostraque lividus odit*; quod etiam hic propter hoc repeto, quia servum Dei *Humbertum* dixisti, quod, quantum ad id, quod scribebas, vere dicere nequisti. Expertus in illo ego sum non Dei servum, sed *antichristi mem-*

brum, quod inferius apparebit, tibi autem sanctum faciet tua erga me calumpnia omnem, qui vecordiae tuae ineptus assensum non negaverit. — *Assertorem veritatis*, inquis tu, tam volentem, quam nolentem, inimicum veritatis constituis. Quisquis autem veritatem asserit, aut volens, aut nolens id agit, nihilque medii potest inveniri; omnis ergo assertor veritatis te auctore inimicus est veritatis. Sed absit; ipsa namque veritas longe distant nomine vocat assertores suos: iam non dicam vos servos, sed amicos; falsum ergo est, assertorem veritatis, tam volentem, quam nolentem, inimicum constituere veritatis. — Non mihi, domine, inquit ego, non mihi, sed nomini tuo dans gloriam, superbam hominis manifesta calumpniam. Auctorem me esse scribis, quod omnis *assertor veritatis inimicus sit veritatis*, et mirandum per omnia, hominem, qui totiens, qui tantam tali scripto sibi non dubitat imputare peritiam, usque eo amicum esse falsitatis, ut me confingat dixisse, quod me non dixisse apud eum revera constabat. Quodsi non constabat, plane impleverat veritas in te, quod in evangelio ipsa dicit: ego in iudi- (6) cium veni in mundum, ut, qui vident, caeci fiant; vides enim et multus es in arte, secundum quam scribis; et tamen caecissimum te fecit malitia, qua calumniaris mihi. Convinceris enim, non vidisse, quam nulla sit tui contextio sillogismi, qui *inconcesso calle procedit*; non enim habes in scripto meo, aut omnes asserere veritatem, aut omnes esse inimicos veritatis; *Humbertum, non omnes, dixi inimicum ve-*

ritatis, quia Xsti corpus adhuc corruptibile esse constituit; hunc eundem, non omnes, dixi assertorem veritatis, quia dicit, corpus Christi esse sacrosanctum panem altaris, qui tamen ipse, in quo etiam veritatis est inimicus, panem negat superesse consecrationi altaris. Dum ergo ita proponit: panis altaris est corpus Christi, non omnis, sed Humbertus veritatem asserit. Dum proponit: non est post consecrationem panis sensualis in altari, non omnis, sed Humbertus ille inimicus est veritatis. Quia inimicum veritatis dixeram, non omnem, sed Humbertum illum tantum, nolentem, quia inimicum veritatis, asserere veritatem astruxi. Est autem veritatis amicus, est veritatis inimicus: est, qui asserat veritatem, est qui non asserat. Amicus volens semper veritatem asserit, inimicus autem veritatis, est, quando volens, est, quando nolens veritatem asserit, nec verum est, quod sophisticè ineptis, de verbis meis colligi posse, omnem veritatis assertorem inimicum esse veritatis. Sed ex abundanti erat, ista prosequi, satisque manifestum erat, ex praecipitatione superbiae tuum illud sophisma processisse, multoque verius suscepta a te Humberti defensio postulabat, ut, aut non esse illum veritatis inimicum, aut non asse- (7) rere veritatem ostenderes, suffecissetque mihi, ut ponerem aliqua assolentissimae hujus in loquendo concessionis exempla, quale est illud beati Augustini in libro de trinitate: sed etiam filius Dei est, quod coguntur fateri, velint nolint; et in libro de agone christiano: omnis creatura, velit nolit, uni domino

subiecta est; secundum hoc habemus etiam illud: quo iure, qua iniuria!

Ubi ego scripsi: quia sicut Goliath proprio Burgundus ense depereat, tui moris est, inquis tu, *alios deprimere*, te efferre, te iactare, de te magna sentire; te David, Humbertum Goliath appellas, et rectius te nominasses Goliath, quia homo arrogantissimus es et ea sentis, scribis, loqueris, quibus quasi ense proprio iuguleris, illum vero David, quia humiliter vixit, humiliter docuit, membrum ecclesiae pro ecclesia pugnans, assumens scutum fidei et gladium spiritus sancti, qui est verbum Dei. Maledictus, inquit ego, qui dicit de bono malum! Quod enim de moribus meis scribis, ego gloriam habeo testimonium conscientiae meae, a temet ipso, vel ab aversis, aut adversis tecum mihi, non a rei veritate habere; verissime autem illud ego dixerim, de manifestis etiam, non fuisse christiani, ut taceam, *monachi*, superbe exprobrare. Quod autem ponis, ea me sentire, quibus quasi propriis peream, oportebat apponi mea illa sensa, et, quae mea essent, non veritatis ipsius, facere manifestum. Quod de humilitate vitae et doctrinae Humberti confirmas, utinam non ex calumpnia erga me tua, sed ex veritate firmaveris! Quantum ad experientiam hominis, dico meam, in negotio isto *de mensa dominica*, quoquo modo vixerit, non humiliter, sed *superbissime docuit*, qui ad praeferendum se mihi (8) contra ipsam veritatem, *corruptibile adhuc esse Christi corpus*, dicere non exhorruit. *Romae ego affui*; si humilitas in illo christiana fuisset,

non me inauditum quasi haereticum condempnasset, potius me primo iustus in misericordia corripuisset atque increpasset; si membrum ecclesiae fuisset, revera me audiens, si veritatis invenisset inimicum, ad revincendum errorem meum, mecum sub congruis iudicibus, non cum gladiis et fustibus, sed christiana mansuetudine constitisset; quia non se talem exhibuit, revera non ipse David, sed Goliath non solum in scripto suo, sed etiam in sua illa erga proximum Romae affectione contra regnum caritatis non praelata humilitate perstitit.

Ubi ego scripsi: erat autem *Burgundus* in sententia, imo vecordia vulgi, *Pascasii, Corbeiensis monachi*, atque *Lanfranni*, minime superesse in altari post consecrationem subiecta panem atque vinum, tempore, inquis tu, sancti Leonis papae delata est haeresis tua ad apostolicam sedem, qui, cum sinodo praesideret, ac resideret secum non parva multitudo episcoporum, abbatum, diversique ordinis a diversis regionibus personarum, iussum est, *in omnium audientia recitari, quas mihi de corpore et sanguine domini litteras transmisisti*; quas cum legissent et contra usitam ecclesiae fidem scriptas animadvertissent, zelo Dei accensi plurimis earum sententias exposuerunt. Videris tu, inquit ego, ne papam illum tibi sanctum fecerit calumpnia tua, secundum quod Oratium attendisse superius posui, secundum quod beatus Augustinus scribit, Manichaeos solere dicere, quod ad idem valeret, ad quod, si dicerent: quod volumus, sanctum est. Ego papam (9) minime sanctum, mi-

nime Leonem de tribu Iuda, et, ut ulterius aliquid audeam secundum illum, qui dixit: vos ex diabolo patre estis, minime virum probum expertus sum, de quo omnibus, qui legerint, satisfactum est in eo, quod de Leone illo, ne verum putaretur, quod me haeticum dicebat, cum desiperet etiam circa alia, tota ego urgente necessitate conscripsi. Delatam dicis ad apostolicam sedem haeresin meam; haeticum me habes, quia Christi corpus incorruptibile esse non nescio, quia sensualem panem consecratione altaris factum sacramentum esse profiteor corpus Christi, sed sine haeresi hac nemo fuit, est, eritve catholicus. Post huiusmodi non me poenituerit, si me daemonium habere pro veritate mentiens infamaveris; *de multitudine quantacunque quorumcunque superius iam respondi, eam veritati nunquam* praeiudicare, adversarios *Caeciliani* multitudinem maximam habuisse, nec minus contra eos veritatem optinuisse, non defuisse *Agripino*, non defuisse post illum multitudinem beato in Affrica *Cipriano*, quum tamen multitudo, postquam longo tempore rebaptizandi consuetudinem fecerat, non optinere debuit, quo minus ecclesia Romana rebaptizare omnino prohiberet. Quod meum ad te scriptum sententias habuisse de corpore et sanguine domini dicere voluisti, indignissime tua veridicitate scripsisti, quia nullas de corpore tibi Christi et sanguine sententias in scripto illo proposui, quod ut manifestius fiat, ad scriptum illud, quod iam scripto isti inserui, qui voluerit, recurat. Quod usitatum ecclesiae fidem non dubitas

dicere, *et, si quae usitatae, ea debeant esse probabiliora*, quod quidem (10) revera suo loco constaret, si tu ab usum usum perverse non diceres, iam superius dixi, quae usitatae sint, secundum ab usum dico, ea esse ineptiora, iam dixi superius, ineptorum in ecclesia turbas non esse ecclesiam; unde beatus Augustinus in libro de unico baptismo puto me, inquit, non temere dicere, quosdam ita esse in domo Dei, ut ipsi sint domus Dei, unica columba, sponsa sine macula et ruga; quid autem usitatius ineptis, quam dicere, hominem factum esse ad imaginem Dei secundum lineamenta corporis, quam, Deum tres de se partes fecisse, apud vulgus audiri? — Itaque factum est, inquis tu, ut non deterior de te, quam de me fuerit orta suspicio, ad quem videlicet tales literas destinaveras, putantibus multis, me fovere ac favere, quae a te dicerentur, vel gratia, qua te diligerem, vel fide, qua, revera ita esse, indubitanter tenerem. Igitur cum a quodam Remensi clerico Romam perlatas recitator legeret, intellecto, quod Iohannem S.(cotum) extolleret, Pascasium dampnaret, communi de eucharistia fidei adversa sentiret, promulgata in te damnationis sententia privans te communione sanctae ecclesiae, quam tu privare sancta eius communione satagebas. Post haec praecepit papa, ut ego surgerem, pravi rumoris a me maculam abstergerem, fidem meam exponerem, expositam plus sacris autoritatibus, quam argumentis probarem. Itaque surrexi, quod sensi, dixi, quod dixi, probavi, quod probavi, omnibus placuit, nulli displicuit. Dehinc

declarata est synodus Vercellensis, quae proximo tunc Septembri eodem praesidente pontifice est celebrata Vercellis; ad quam vocatus non venisti. Ego vero praeepto ac precibus praefati pontificis usque ad ipsam synodum (11) secum remansi, in qua in audientia omnium, qui de diversis huius mundi partibus illuc convenerant, Iohannis S.(coti) liber de eucharistia lectus est ac dampnatus, sententia tua exposita (h)ac dampnata, fides sanctae ecclesiae, quam ego teneo et tenendam astruo, audita, et concordia omnium assensu confirmata. — Saepius me, inquit ego, de falsitate tua scriptum tuum compellit, ut loquar; qua enim fronte scribere potuisti, suspicionem contra te de meo ad te scripto potuisse oriri? Admonebat te scriptum illud meum, praeproperam contra Iohannem Sc. te tulisse sententiam, et ut de eo mecum agere dignareris secundum scripturas. Nec sani ergo capitis fuit, aliquid contra te suspicari de scripto illo, in quo ego reprehenderam, quod omnes, ut scribis te fecisse, approbabant. Denique legat scriptum illud, qui voluerit, et nichil constantius reputare valebit, quam non potuisse oriri de te suspicionem, quae de me orta fuerat per scriptum illud. Quod extollere Iohannem Sc. me scribis, sentire illum de mensa dominica scripseram, quod manifestissimum est omni homini, qui maluerit non dicere domino Deo: scientiam viarum tuarum nolumus, recede a nobis, cum Ambrosio, Augustino, Hieronymo. Quod promulgatam dicis in me dampnationis sententiam, sacrilegae sancto illi tuo Leoni notam praecipita-

tionis affigis. Iniustum enim esse praescribunt tam humana iura, quam divina, inauditum aliquem condemnari, contra quae spiritus sanctus: maledicent illi, et tu benedices, et beatus Augustinus in libro de verbo domini: iniusta vincula solvit iusticia, et beatus Gregorius in quadam omelia: ipse (12) hac, inquit, ligandi, hac solvendi potestate se privat, qui hanc non pro subditorum moribus, sed pro suae voluntatis motibus exercet. Maxime cum me Leo ille accersisset, donec certum fieret, utrum praesentiam eius adire suffugerem, suspendenda fuit sententia, ut revera cognosceret, quod falsissimum habet scriptum tuum, quatenam ego communi fidei adversa sentirem; ubi indignum te facis, ut iam dixi non semel, quod communem fidem communem dicis errorem; expectandum, inquam, fuerat, ut per me verbis audiretur aut scriptis, quae ego in Ioh. S. approbarem, quae in Pascasio Corbeiensi monacho condemnarem. Et de Pascasio quidem Corbeiensi monacho, quam indissimulabiliter non solum a veritate, sed etiam a se ipso dissentiat, quam plane sua ipse sensa deiiciat, si longum non esset, erat michi annotare facillimum. Quantumque ineptierit de mensa dominica monachus ille Corbeiensis, sola poterat satisfacere, quam inducit *de Peswil presbytero* fabula, omni catholico auditu ipso indignissima; de Iohanne autem, cur conscissus fuisset, te ipsum quibusdam narrantem causam conscissionis audivi: quia in quodam scripti sui loco posuisset, ea, quae in altari consecrantur, *esse figuram, signum, pignus corporis*

et sanguinis domini, qua ex causa, si revera, sicut apud Brionnum, ubi aderas tu, narrasti quibusdam, a Leone papa dampnatus est — Ioh. S., dampnandus revera fuit Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, qui in scriptis suis haec eadem verba scribunt et tractant. Quod communione privatum me scribis, ego certus sum, ad consolationem meam sanctum (13) dicere spiritum: maledicent illi, et tu benedices, et illud Malachiae: maledicam benedictionibus vestris, et illud: beati eritis, cum vos oderint homines et eiecerint nomen vestrum; non me latet, quod vere Christo domino Iudaeorum principes associaverint illum caecum natum, quando tandem eum communione illa sua privatum foras eiecerunt; tunc enim tandem a domino in turba conveniri meruit et audire: tu credis in filium Dei, et cum audisset: qui loquitur tecum, ipse est, proci dens adorare eum¹⁾. Ad id, quod dicis, omnibus placuisse dicta tua, nulli displicuisse, licet, hoc te falso dixisse, negari non possit, quia non omnes, quisque suam de eo, quod diceres, in eo concilio

¹⁾ Quod autem me ecclesiam communione sua privare scripsisti, desipuisti omnino, quia nec cogitavi aliquando, nec volui deperire ecclesiae unionem fidei et bonae actionis, unde illud: una sit fides mentium et pietas actionum. Quod si me privare ecclesiam communione scripsisti pro eo, quod vecorditer me calumpniaris destruere sacrificium ecclesiae, secundum nullam eruditionem scripsisti, quod participatio sacramentorum altaris nunquam proprie communicatio dicitur, sed communicatio. Unitas fidei et in actionibus pietatis communicatio in scriptis nominatur autenticis.

Haec nota in margine codicis addita legitur. Ann. edd.

pertulerunt sententiam, quantum mihi per eos, qui concilio interfuerunt, innotuit, tamen satis est, quod superius dixi, multitudinem non praeiudicare veritatem. Hoc si non constaret, adhuc rebaptizaret Africana ecclesia, postquam in *Agripini* prius, deinde in beati *Cipriani conciliis*, ut rebaptizarentur, qui redibant ad ecclesiam, ab omnibus maxime episcopis, maxime eruditis firmatum est, omnibus placuit. Tunc tantum non est ferenda sententia pro uno, vel paucis adversum multos, quando ita sunt multi, ut sint eiusdem religionis et unitatis et magno ingenio et uberi doctrina praediti, quod tractat beatus Augustinus in libro de unico baptismo, ubi etiam ad demonstrandum, quando non sit eundem in aliam sententiam, de se ipso dicit: issem profecto in eandem sententiam, nisi me ad diligentiore considerationem revocaret tanta autoritas aliorum, quos pares gratia doctrinae, vel etiam fortasse doctiores (14) ecclesia toto orbe peperit. Dicens, omnibus placuisse, quasi necessario me compellis, dicere aliquid de indignitate tui illius Apostolici, et congregati tunc ab eo concilii. Tempore enim, quo te Vercellis affuisse scripsisti, *episcopus Vercellensis avunculo suo nobilium papae cuidam sponsam suam publico flagitio abstulerat*; hoc flagitium per provinciam omnes iure commoverat, omnium contra episcopi vesaniam zelo Dei suscitaverat corda. Nobilis ille Papiensis illam sibi a nepote sponsae praereptae iniuriam ad episcopos, ad apostolicum Leonem illum saepe pertulerat, nichilque tanto dignum maxime episcopi

flagitio optinuerat; sed audito, quod affuturus esset papa ille Vercellis, quae pertinerent ad Christi iura, quantopere acturus, in multam spem respiraverat, quod tot episcoporum, tot egregiarum personarum, tanto omnium conventu saltim tunc a non animadvertenda tanta Apostolicus prohiberetur iniuria. Spe ista ductus conventui illi Vercellico Papiensis ille non defuit, nobilium coniugatorum, qui aderant, ad expostulandam iniuriam suam zelum facile comparavit; sed quanti istud? Apostolicus apud adulterum Vercellensem illum hospitium accepit, regalibus adulteri sumptibus per dies non paucos exceptus est, eadem domo, eodem non dubitans participare convivio. Cum interim Papiensis pro illata sibi a nepote iniuria foris, intus, in ecclesia, in consensibus omnia temptaret, omnibus, si forte apud Apostolicum pro tanto adulterio obtinerent, molestus esse non desisteret, nichil effecit, etiam intacta eius causa re- (15) mansit. Nichilominus papa idem, cum fuisset a quibusdam admonitus, quod faceret contra ecclesiasticas rationes, reordinare episcopos et presbiteros in Vercellensi illo concilio, a regia illa sua sede consurgens, omnes, qui circumsidebant, in medio positus postulavit, dominum pro eo, quod reordinasset, ut sibi indulgeretur, orare; et id quidem recte, sed tamen quanta laboraret indigentia pleni, quanta ageretur levitate, quam omni circumferretur vento doctrinae, paucis post diebus excursis manifestissimum dedit. *Romam enim reductum obiurgatione adorti sunt hi*, quorum consilio reordinationes fecerat, cur Vercellis contra-

dictoribus illis ad non reordinandum cessisset; in errorem rediit, atque post ad voluntatem eorum, qui Romae fuerunt, maxime Humberti illius tui, reordinavit episcopum *Redonensem*, magnum nomine, episcopum *Lemovicensem* Iterium, cognomento *Capreolum*, abbatem quoque *Rodonensem*, nomine *Pirenaeum*, quos pro eo nominatim inserui, quia noti mihi erant, et mecum de eo, quod Romae gestum fuit, ipsi egerant. Ne quis me putet de opinione, non de rei veritate scripsisse, nec de papa illo Leone maledicendi voto haec refero, cum audierim ex evangelio: neque maledici regnum Dei possidebunt, sed ut probabilius fiat eis, qui haec forte legerint, quod tanti facit illum papam scriptum tuum, non de rei veritate, sed de mea tibi calumpnia processisse. Ad eam sinodum vocatum me non venisse scripsisti, quod scribens manifestam iterum fecisti malitiae tuae calumpniam, magnopere contendens, omnes, qui scriptum legissent tuum, a veritate revo- (16) catos in meum odium concitare, ubi quam maxima et mihi in hoc negotio, et rebus humanis commiseratio debebatur, maxima nichilominus papae illi indignatio propter nimiam a me et a christiana et apostolica paternitate aversionem suam. Pervenerat enim ad me, praecepisse Leonem illum, ut ego Vercellensi illi conventui, in quo tamen nullam papae debebam obedientiam, non deessem. *Dissuaserant secundum ecclesiastica iura, secundum quae nullus extra provinciam ad iudicium ire cogendus est, personae ecclesiasticae, dissuaserant amici; ego ob*

reverentiam pontificatus Romani multo Romam iter labore susceperam, et, ut irem securius, ad regem Franciae, ecclesiae, cuius eram clericus, abatem, accesseram, nichil a regia dignitate, nichil ab abatis paternitate sinistrum expectabam; non ab Ierusalem descendere in Ierico, sed ab Ierico in Ierusalem conscendere cogitabam, cum me carcerandum ac rebus omnibus expoliandum cuidam dedit. Hoc Leo ille Vercellis audivit, non apostolica dignitate, non paterna miseratione, non humana motus est compassione, qui, si non michi, apostolicae saltem sedi, ad quam iussus contendebam, dare debuit gloriam, ut, si non pro me, saltem pro apostolica dignitate, quantus posset, exurgeret in eum, qui me ad se intendentem carcere clauserat, rebus expoliabat, pro me in eum gladium christianae animadversionis exsereret, haeticum me potius voce sacrilega (non enim miseratione divina veridica; verba autem sacerdotis, scriptura dicit, aut vera aut sacrilega) in conventu illo Vercellensi pronuntiavit; non illum religio, non humanarum rerum ad compatiendum per- (17) movit conditio. Longum facio, quod omnino non vellem, sed scriptum tuum in ista cogit falsissimum. Scripsisti enim: *ad quam tu vocatus non venisti*, sed vocari secundum ecclesiastica iura non debui, venire ob reverentiam Romanae ecclesiae non refugi, et revera, quantum in me fuit, veni, nec scribere: *ad quam tu vocatus non venisti*, quia historia haec etiam remotiores non latebat, nisi de falsitate calumpniae potuisti. In quo non satis, qui te nove-

rit, admirari sufficet, quid de te tantum commueras? Si mihi non parcebas ex abundantia maliciae, parceres a tanta falsitate saltem tibi, nec ita me in *Ticinum*, quod opinabaris, dares, ut te in *Padum* demergeres. Ioannis Scoti librum lectum scribis in audientia omnium, qui de te diversis mundi partibus convenerant, atque dampnatum. Ad hoc satis iam rescripsi, te ipsum narrasse quibusdam —, librum illum pro eo dampnatum, quod diceret: sacramenta altaris similitudinem, figuram, pignusque esse corporis et sanguinis domini, in quo maxime secundum scripturas authenticas debuit approbari. Audieram etiam ab illis, qui interfuerant concilio vanitatis, nulla librum illum alia diligentia dampnatum, quam ut semel locus quidam illius audiretur et ita dampnaretur, cum dicat dominus: scrutamini scripturas, cumque poëticum illud: haec decies repetita placebit, pro philosophico revera sit habendum; attestante ineptiae tuae Petro, Romanae ecclesiae diacono, et praecipitante sententiam, ut diceret: *si adhuc in figura sumus, quando rem tenebimus*, non attende (18) dente, quod dicit beatus Augustinus: hunc panem significavit manna, hunc panem significat altare Dei, *in signis diversa sunt, in re, quae significatur, paria*, et illud in psalmo III.: *corporis et sanguinis sui figuram discipulis commendavit*, non attendente, non interesse nichil *inter figuram vel signum rei, quae nunquam fuit, rei nondum exhibitae praenunciatoriam*, et figuram vel signum *rei existentis*, rei iam exhibitae commonefactoriam. De

diversis, inquis, mundi partibus convenerant. Ad hoc satis respondi, irritum nunc esse universae ecclesiae, ut rebaptizetur quis, quod fieri debere, qui de tam diversis mundi partibus convenerunt longe eruditiores, longe religiosiores, quam nostra tempora episcopos habeant, in tot ecclesiis tempore Agrippini Cartaginensis episcopi, tempore beati Cipriani, sententiam dederunt, atque rebaptizandi in Affrica non modico tempore consuetudinem fecerunt; quanquam falsissime scripseris: de diversis mundi partibus, *cum de eiusdem regionis et linguae ad Vercellicum tumultum illum convenerint*. Quod sententiam meam scribis Vercellis in consessu illo expositam, dico de rei veritate et testimonio conscientiae meae, *nullum eo tempore sententiam meam exposuisse*, quia nec mihi eo tempore *tanta perspicuitate* constabat, quia nondum tanta pro veritate eo tempore perpeusus, nondum tam diligenti in scripturis consideratione sategeram. Immo, si quis sententiam, sicut scribis, in consessu illo exposuit meam, *non tamen ius ecclesiasticum habebat, absentem inadmonitumque aliquem debere dampnari*, in quo solo, si omittantur alia, de concilii Vercellensis diligentia (19) potest quam plurimum estimari. Illud, quod nulla sit invalidum falsitate, repeto, nullum, qui meam de eucharistia pernovisset sententiam, quam tu Vercellis expositam scribis atque dampnatam, adfuisse illi consessui Vercellensi. Fides, inquis, ecclesiae, nec dubitas, *ineptorum turbas* ecclesiam nominare, contra quod summa mihi non deest *auctoritas* eius, qui dicit:

sinite illos, caeci sunt duces caecorum, apostoli etiam, qui dicit: si nos aut angelus de coelo aliud evangelizaverit vobis, anathema sit. Evangelizat autem apostolus Paulus *corporis Christi impassibilitatem* praeter alia passim multa, ubi dicit: et si *noveramus Christum secundum carnem*, sed iam novimus etc. Contra tuus ille Vercellensis conventus *persuadet eiusdem corporis per manus fractionem, per dentes attritionem, et non quod ad sacramentum, sed quod ad rem sacramenti pertineat*, in quorum, i. e. sacramenti et rei, cuius est sacramentum, consideratione *tibi ipse contrarius existis*, nec attendis. Confingis enim, non superesse in altari panem sensualem, sed *portiunculam carnis factae de pane; huius portiunculae carnis colorem*, vel, ut verba tua ponam, *visibilem speciem, non ipsum subiectum*, sed quod in subiecta ea sit, sacramentum esse constituis in prioribus tractatus tui, qui tamen ipse in posterioribus eiusdem tractatus asseris, *non esse sacramentum colorem vel speciem porciunculae carnis*, quae sit post consecrationem in altari, *sed ipsam porciunculam, i. e. non quod in ea subiecta sit, sed eam, quae subiectum sit, esse sacramentum totius corporis, quod in coelo est, Christi*, eamque ipsam manibus frangi, dentibus atteri. Sed vecordissimum erat, quod de Christi corpore esse non neges, non negare etiam frangi vel atteri. Contra hoc, (20) quod errorem dicis ecclesiae fidem, beatus Augustinus in libro de unico baptismo, non temere, inquit, dico, quosdam ita

esse in domo Dei, ut ipsi sint domus Dei, hos pro-
fecto nomine ecclesiae dignos dixerim. *Omnium
assensu confirmatum scribis errorem tuum*, con-
tra quod iam superius satis respondi, respondeo
tamen illud, etiam *Susannam* omnium, qui ad-
fuerunt, assensu, etiam illius, cuius spiritum ad di-
ligentiolem examinationem, dum ad lapidandum
iret, suscitavit dominus, morti fuisse dampnatam,
Cecilianum, quod commemorat beatus Augustinus,
non semel in Affrica, non contradicente multitu-
dine fuisse dampnatum, qui, si praeiudicaret mul-
titude veritati, minime postmodum apud Melciadem,
si nomen teneo, papam deinde, apud Constantinum
Mediolani, quantum ad eandem causam, invenire-
tur a culpa immunis. *Duos clericos meos Ver-
cellis affuisse* scripsisti, nec mirandum usque eo,
si alius minoris, quam tu sis, eruditionis tantam ab
invidia sua et odio sibi sumeret libertatem men-
tiendi. Michi in scripto tuo calumpniaris, quod
minus attendam, quid dicam, dum Humbertum il-
lum tuum in odium adducam, unde ego non in-
iuria tibi dico: cura te ipsum, medice. Qui in me
istud reprehenderas, sed calumpniose, Dei miseri-
cordia, tanta mentiri scripto tuo, ut in odium au-
ditorum me adduceres tuorum, non debuisti per-
mittere. *Clerici enim illi mei revera non fue-
runt*, me defendere minime susceperunt. Alter
*concanonicus mihi erat in ecclesia beati Mar-
tini, convictor et discipulus gloriosae memoriae
Gazonis Leodi-* (21) *censis episcopi, iuvenis non
parvae eruditionis, plurimae probitatis atque ho-*

nestatis; hunc clerus ille beati Martini, cum me gregis sui rex ille Franciae, totius regiae dignitatis oblitus, *carcerandum dedisset* cuidam adolescentulo suo, qua ex causa, etsi turpius dicere, turpe tamen erat scribere, ad exigendam a me, quantam ego nunquam pecuniam noveram, consilio communi ad Leonem illum misit Vercellis, si forte, infortunio meo compatiens christiano rigore aliquid pro me adoriretur. Huic, cum esset in conventu illo Vercellensi, et quidam interrogatus a papa responderet ad interrogata, quod respondendum putavit, visum illi est, sicut mihi ipse narravit, dare illum sententiam, *quod essem haereticus*: quo viso perturbatissimus, ad quem nesciebat, inclamavit, quantum potuit: *per Deum omnipotentem mentiris!* Alter compatriota tuus, nomine Stephanus, ei, quem ab ecclesia beati Martini missum dico, non ignotus, cum vidisset, libellum Iohannis Scoti ex nutu et libito tuo conscindi, nobili permotus zelo non tacuit, similiter posse conscindi librum aliquem praeproperanter beati Augustini, non adhibita mora et lima, utrum conscindendus esset, sufficientis considerationis. Ita factum est, ut jubet ¹⁾ Leo ille, *utrumque teneri*, non tamen, ut ipse postea exponebat ²⁾, ut illis aliquid injuriae fieret aut molestiae, sed ne turba forte in illos illicitum adoriretur aliquid. Ita indignum eruditione tua scriptum continuit tantam

¹⁾ *Pro*: jubet, legendum videtur: juberet. *Ann. eidd.*

²⁾ et rei exitus approbavit. *Ann. cod.*

falsitatem tuam: duo clerici tui te volentes defendere primo aditu defecerunt. Nullus cum eis saltem forensi modo (22) destina rationem posuit, non illi causam meam exponere vel defendere sunt adorti; tenti fuerunt, ut tecum sentiat quis, tentus fuit Christus et, cui assidet ecclesia Romana, Petrus apostolus. Ab hac sententia, inquis tu, nunquam discessit sanctus Leo in omnibus conciliis, quibus praesentiam suam exhibuit et quae per legatos diversis in locis congregari constituit —. Quod sanctum, inquis ego, scribis Leonem, mihi deberet, si viveret; non enim tu in laude Leonis illius, sicut dicit Oratius, sepulti sanctitati applaudis, nostra sed impugnas, nos nostraque lividus odis. Possem autem, si utile ad aliquid putarem, quamquam nihil in suo bono dominum profecisse scribat evangelista illis, quibus dixit: vos ex diabolo patre estis, de perversitate et indignitate hominis per me experti, per meos cogniti, si longum non fieret, sufficienter scribere, sicut habet veritas ipsa, quo manifestissimum fieret, ab invidia in me tua te habere, quod illum nominare non dubitas sanctum. Ab hac sententia tot conciliis non recessit, inquis. Ad hoc superius respondi, non recessisse Agripinum archiepiscopum Cartaginensem, non recessisse beatum Ciprianum, quibus tamen nulla ratione ille tuus comparabilis fuerat Leo, non recessisse tot ecclesias a sententia, immo ab errore rebaptizandi, episcopos incomparabiliter eruditiores, perspicaciores, religiosiores, quam nostra habent episcopos tem-

pora, nec minus tamen postea, ut nemo rebaptizetur, veritatem optinuisse.

Quae sententia, inquis tu, non effugit papam Victorem, immo eam sua et conciliorum autoritate firmavit, denique in concilio *Turonensi*, cui ipsius adfuerunt et praefuerunt legati, data est tibi optio defendendi partes tuas; quod cum non auderes, confessus (23) communem ecclesiae fidem iurasti, sicut te Romae iurasse superius est comprehensum. — Compellit me, inquit ego, velim nolim, longum facere continua scripti tui monachatu tuo indignissima falsitas. Papam Victorem concilium Turoni convocasse per legatos scripsisti: papae Victoris nec adfuerunt legati, nec praefuerunt concilio Turonensi, nunquam mihi defendendi partes meas optionem dederunt legati papae Victoris. Non ausum me fuisse, defendere partes meas, immensa falsitate scripsisti; iurasse me, sicut Romae, stupendo mendacio confirmasti; communem fidem, quo tuum nomine saepe palliasti errorem, insanis me professum fuisse; ecclesiae dicis, quod turbae erraticae verius dicere potuisti. Longum facio, sed enormitate falsitatis scripti tui compellor; dicta repeto: *nunquam papa Victor per se vel per legatos mecum egit de mensa dominica*, nunquam in eo mihi defendendi, quae afferrem, optionem fecit, nunquam papae Victoris legatis communem ineptorum errorem, quem communem ecclesiae appellare non dubitas fidem, confessus aliquid iuravi; sed quia adhuc superest *Hildebrannus*, qui de ve-

ritate consultus tota dignitate est adhuc respondere idoneus, quanquam longissimum faciam, visum est, *de concilio Turonensi*, quod rei veritas habuit, neque tamen eo, nisi paucissimis, tempore innotuit, palam facere omnibus, qui in hoc scriptum forte inciderint. Tempore non Victoris, sed papae Leonis ab ecclesia Romana Hildebrannus, vices in negotiis ecclesiasticis suppleturus apostolicas, Turoni adfuit. Huic contra calumpniam in me insanorum, in quo adhuc, omisso me, audire eum potest, qui voluerit, de propheta, de (24) apostolo, de evangelista, de autenticis etiam scripturis ¹⁾ Ambrosii, Augustini, Ieronymi, Gregorii, in quo etiam nunc satisfacere indissimulabiliter miseratione divina, ut nichil ullo modo certum remaneat ei, qui, me mansuetudine christiana, corde vigili audito, in eo dubitaverit, omnino sufficio, non venienti ad exprobandum Deo viventi, ad dicendum domino: scientiam viarum tuarum nolumus, recede a nobis, ad perdendum me cum gladiis et fustibus, sed venienti ad audiendum me mansuetudine christiana in nomine domini. *Hildebrannus, veritatis perspicuitate cognita, persuasit, ut ad Leonem papam intenderem*, cuius auctoritas superborum invidiam atque ineptorum tumultum compesceret; ceterum, quod ad instantia pertineret, si vellent episcopi, qui convenerant, ex mora agere de eucharistia, darentur eis in manus locis denotatis signis adhibitis diversorum libri, quos *undecunque*

¹⁾ satisfeci

*Hildebrannus ipse multos fecerat comportari; si vero sola responsione sine ipsius responsionis pertractatione contenti (convenit enim aliquando scripto adversariis et non sententia, sicut Arrianis et catholicis, patrem filio esse maiorem) alia pergerent pertractare negotia, soluto eorum conventu recta ego cum Hildebranno ad Romanum pontificem, sicut supra dictum est, abiremus. Episcoporum ergo, qui convenerant, voluntas in eo fuit, ut quidam eorum me, episcopus Aurelianensis atque episcopus Autisiodorensis cum archiepiscopo Turonensi, de eucharistia separatim cum (25) clericis suis audirent. Ita ergo factum est; conquesti sunt me accito episcopi illi duo, quod culpa mea a propriarum eos ecclesiarum pertractandis negotiis revocaret. Quam meam culpam dicerent, interrogati responderunt, dicere me, *panem sanctum altaris panem tantum esse, nec differre ab inconsecrato pane mensae communis*. Quem in eo accusatorem meum haberent, producere neminem potuerunt, ita diffamatum me se audisse responderunt, et quid dicerem, cum negarem illud, audire voluerunt. Hic ego inquit: certissimum habete, dicere me, *panem atque vinum altaris post consecrationem Christi esse revera corpus et sanguinem*. Quo audito, nichil aliud expectare a me alios, qui in ecclesia sancti Mauricii consederant, dixerunt episcopos, quam ut in eorum quoque audientia eadem non tacerem, et ita eos liberum habituros, ut sua quisque agere negotia non differrent. Veni ergo cum iis, qui me separatim*

audierant, Aurelianensi atque Autisiodorensi episcopis, in consessum aliorum et, quae separatim quibusdam dixeram, in audientia omnium repetivi, cumque iam paene mea illa finiretur calumpnia, non defuerunt, qui dicerent, quod dicebam, non debere sufficere, quia aliud corde clauderem, aliud forsitan lingua emitterem, iuramentum esse a me exigendum. Cum ergo exigerent, summaque iniuria, quia produci non poterat accusator, qui a me audisset, quod me dicere prius putaverant, cessi tamen consilio episcopi *Andecavensis atque abatis maioris monasterii Alberti*, qui me de scripturis habere certi erant, quod dicerem, adhortantium, ne tumultum compescere popularem (26) suffugerem, cum scirent, me revera idem habere in corde et in ore. Scripsi ergo ego ipse, quod iurarem: *panis atque vinum altaris post consecrationem sunt corpus Christi et sanguis*; haec me, *sicut ore praeferrem, iuramento confirmavi, corde tenere*, contra iura tamen tam secularia, quam ecclesiastica, sicut praedixi, consilio eorum, qui mecum veritatis minime erant ignari, quos superius nominavi. Ita Hildebrannus, Romanae ecclesiae legatus, qui libros undecunque comportari fecerat, ut ex eorum auctoritate satisfaceret de eucharistia, pro cuius diligentiori consideratione et veritatis, Dei misericordia, comprehensione haereticis me insimulaverant homines nichil scientes, et superiores se in scientia alios non aequo animo tolerantibus, turbarum, quae ad illud maxime valent, ut clament: *crucifige, crucifige*, quae ad comprehensionem ve-

ritatis vix aliquando vel nunquam sufficiunt, ad fustium et lancearum semper pronae sunt apprehensionem, tumultu compescito alia, pro quibus a Romana ecclesia venerat, est prosecutus negotia. In quibus cum nonnullas consumeret moras, meque cum illo iamiam accessurum Romam ad satisfaciendum de mensa dominica, de eminentia rationis, de immunitate auctoritatis expectarem, secundum quod convenerat cum illo mihi, nunciatum illi est, papam Leonem rebus decessisse humanis, quo audito a proposito eundi Romam itinere supersedi. Nunquam mecum aliquid egerunt legati papae Victoris; videris tu, quam indigna monachatu tuo, quam indigna tua eruditione vecordia persuadere suscepit scriptum tuum, *quod Romae iuraverim, me Turoni iuravisse legatis papae Victoris.* —

(27) Digrediendo, inquis tu, ista scripsi, quia dixisti: erat Burgundus in sententia vulgi, Pascasii Corbeiensis monachi atque Lanfranni; nam cum ecclesia dividatur in clericalem atque laicalem ordinem, clericalis dividatur in episcopos atque alios Christi sacerdotes, aliasque diversarum dignitatum ecclesiasticas personas, hos autem omnes, praeter paucissimos scismaticos, hanc fidem tenere manifestissimum sit, rectius dixisses: erat autem Burgundus in sententia catholicae ecclesiae, sed non in mea meorumque sequacium, qui maluimus nos ab ea superbe separare et contra eam ad nostram perniciem scisma facere, quam membra eius humiliter esse et communem cum ea fidem salubriter retinere. Hoc revera dixisses, si amator veritatis et

servator iustitiae existisses, si abiecto inanis gloriae appetitu peccata tua confiteri, quam tueri maluisses. — Quod nomen ecclesiae, inquit ego, totiens ineptorum multitudini tribuis, facis contra sensa maiorum et scripta, sicut superius posui. Quod divisione facta ecclesiae, quam utrum satis diligenter feceris, tuum fuerit pervidere, dicis omnes tenere hanc fidem, quum hunc verius dixisses errorem, quod propicia divinitate omnibus veritatis amatoribus eminebit hoc opere, contra conscientiam tuam dicis, quam latere non potest, usque eo res ista agitata est, quam plurimos vel pene infinitos esse cuiuscunque ordinis et dignitatis, *qui tuum de sacrificio ecclesiae execrentur errorem atque Pascasii Corbeiensis monachi*. Tamen non ego, sed Deus ipse ad illud, quod dicis: omnes, responderit tibi, quod Eliae respondit. Cum enim conquerebatur Elias, Izezabel prophetas occidisse, se solum, cuius quaereret animam, remansisse, (28) audivit a domino: reliqui mihi septem millia viros, qui non curvaverunt genu ante Baal; ita tamen, quos paucissimos scripsisti, conscientiam non potest latere tuam, esse quam plurimos. Qui autem haereticum me totiens a principio scripti tui Deo miserante mentitus es, inconvenienter tibi me hic scismaticum dicere voluisti. *Aliud* enim doctores ecclesiae *haereticum, aliud scismaticum esse* constituunt. Rectius, inquit, dixisses: erat autem Burgundus in sententia ecclesiae catholicae. Ad hoc superius respondi, non verius te istud proposuisse, quam si proponat aliquis: rectius *homo dicitur*

factus ad imaginem Dei secundum lineamenta corporis, cum omnes, praeter paucissimos, ita teneant, ita fidei christianae tenendum esse non dubitent; illud autem fidenter ego dixerim, non pauciores de mensa dominica, quam de eo, quod scribitur homo ad imaginem factus Dei, contra veritatem sentire. Nec te latet, aliquando haeresin in tantum invaluisse Arrianam, ut sola Roma Liberium, solae quattuor urbes cismarinae catholicos haberent episcopos, tantum tamen praevaletibus hereticis, ut Liberius papa, sicut *Mediolanensis*, *Pictaviensis* aliique episcopi catholici, in exilium mitteretur, nec sano capite eo tempore aliquis diceret: cum omnium urbium ecclesiae praeter paucissimas (quae enim comparatio quinque urbium ad innumerabiles?) filium patre minorem etiam secundum divinitatem asserant, rectius est, in maiorem concedere turbam. Nec minus eo tempore licuit vecordi alicui, Liberium papam atque aliarum quatuor urbium catholicos pontifices scismaticos appellare vel haereticos, quam tibi hoc tempore, me atque, (29) non meos, ut scribis, sed prophetae, apostoli, evangelistae doctorumque ecclesiae auditores scismatici vel heretici infamia pro assertionem veritatis aspergere, sed quamlibet¹⁾ pauci, non minus tamen dicendi erant in veritatis comprehensione catholici. Repetito scribis: hoc revera dixisses. Repetito dico et ego, si errorem fidei nomine palliassent, si multitudinem

¹⁾ infiniti, non minus tamen, si pertinaciter agant in errore, haeretici, quamlibet

veritate praeiudicare consensissem, in scisma vel in haeresin potius tunc abissem. Negas me veritatis amatorem, servatorem iusticiae; sed non erat monachi, de alieno servo (non enim mecum de negotio isto mansuetudine christiana egisti) aliquando temere iudicare, in eoque tibi parcere sacerdos monachusque debuisti, ut, qui me vitio illo scripseras laborare, ut mihi omnia tribuam, aliis derogem omnia, non tibi veritatis amorem, iusticiae conservantiam, ea mihi negando, tam facile attribueres. Peccata mea tueri me scribis multa plane temeritate, quia, sicut iam dixi, peccata mea vel iustitiam satis certa nunquam, vel meum inanis gloriae appetitum habere potuisti.

Quod sententiam, inquis tu, qua panem et vinum in verum Christi¹⁾ et sanguinem converti credimus, vecordiam nominas, oportunius tibi respondebo, cum fidem hanc, auctore Deo, rationibus auctoritatibusque veram monstravero; porro autem, quod me etiam cum vulgo deputas, certissimum habeto tu, certissimum amici mei, quia, si etiam deesset mihi ratio et auctoritas, quibus fidem tuerer meam, malletem tamen cum vulgo esse catholicus, quam tecum facetus haereticus; sed si dominus Deus te et me in audientia sancti concilii dignaretur coniungere, mutares verba, mutares sententiam. (30) Quod de conversione, inquit ego, panis et vini in verum Christi corpus et sanguinem oportuniori te scribis reservare loco, ego

¹⁾ corpus

interim dico: *panem et vinum per consecrationem converti in altari in verum Christi corpus et sanguinem*, non mea, non tua, sed evangelica apostolicaque simul autenticarum scripturarum, quibus contra ire fas non sit, est sententia, nisi contra sanitatem verborum istorum sinistra aliquid interpretatione ¹⁾. Quod si facis, non solum te, sed et angelum de coelo vulgo deputare non dubitem. Dum dicis, converti in veram Christi carnem et sanguinem, quam diceres conversionem (est enim multiplex et vera conversio), minime assignasti. Dicens autem, tuam esse tuorumque sententiam hanc, quasi non sit mea, sed potius putem vecordium esse sententiam eam, panem et vinum altaris converti in veram Christi carnem et sanguinem, quantam potest, scriptum tuum invidiam mihi comparat. Cum vulgo, inquis, te malle esse catholicum, si desit ratio et auctoritas. Hoc inconsiderate praecipitanterque a te dictum esse demonstrare erat facile, sicut non pauca alia, si tantopere ad susceptum negotium pertineret, quamquam stultissime praescribas, ut certissimum illud habeam. Unde enim tibi, praescribere vel adortari, ut, quod tu vis, certissimum adversarius tuus habeam, dicendo: tu et amici mei, quasi aliquid in hoc negotio mihi conveniat cum amicis tuis? In qua adortatione tua non apparet, cur pronomen apposueris: tu, nisi ut infinita ambitione vel vanitate tumeret. Hoc solum non tacuerim, te cum vulgo

¹⁾ insistas.

sine auctoritate, vel tua ad vulgus, vel vulgi ad te, non posse esse catholicum. Sed et de eo, quod scribis: in audientia sancti concilii, (31) agere aliquid, non erat magnopere necessarium, sed quis non respondeat homini contra veritatem, contra rerum evidentiam, contra conscientiam suam agenti? Quando eruditione limati, dignitate vitae praeclari secundum ecclesiastica iura instituebantur episcopi, quando adhuc, quae ad religionem pertinent, integro iuventutis suae flore placebant, quando summum, immo totum illud christianae religionis decus, caritas nondum ex abundantia iniquitatis refrixerat, sed potius immensitate fervoris sui cordium sordes absumebat, mentium tenebras suae lucis puritate fugabat, multis conciliis pro veritatis investigatione agentibus, tempore *Agripini, Cartaginensis* archiepiscopi, tempore successoris illius, beati *Cipriani* iusto Dei iudicio, etsi occulto, minime inventa veritate, ut rebaptizarentur, qui se ad catholicam recipiebant, firmatum est ab omnibus. Temporibus nostris, quibus placuit Deo, nos nasci, videre adnullationem religionis, solem in tenebras converti, lunam in sanguinem, videre omnes, se nosse Deum, confitentes, factis autem negantes, dicentes: domine, domine, et, quae praecipuntur, facere fugientes, tu conciliis, qualibus nescire non potes, me conterrere tibi pergis promittere aliquid? Dissimulare scripto tuo potes, latere in hoc te ipsum non potes, nullos, ut universalius dicam, secundum quod dicit apostolus: omnis, quae sua sunt, quaerit, in ecclesia secundum ecclesiastica

iura, secundum rationes canonum, secundum dignitatem morum, secundum eruditionis cumulum episcopos, quoscunque praelatos, abatesve constitui. Rem dico tuis temporibus omnibus notam, quamquam, si haec omnia recte fierent, te tamen latere non oportuit, quod verissime (32) beatus contestatur in libro de unico baptismo Augustinus: vix unquam in multitudine satis bene quaesitam inventamque veritatem; quamquam, si minus id constet, illud constantissimum dico, conciliorum, in quibus tibi applaudis, quae contra evidentiam conscientiae tuae nulla veritate sancta appellas, multitudinem non esse idoneam satis ad diligentioveritatis inquisitionem atque perceptionem. Mutares, inquis, verba, mutares sententiam. Nimis arroganter quidem, nimis praecipitanter ista. Qui mihi arrogantiae nomine derogabas, cavere tibi debuisti ab illa; qui sententiam me mutaturum scribebas, a tali praecipitio supersedere potueras. Ad mutanda enim verba in hasta et clipeo, in quibus populum Dei ille alienigena conterrebat, in gladiis et fustibus, in quibus incontrerita comprehensa est tamen, quia voluit, Dei virtus et Dei sapientia, cogere potuit conditionis humanae imbecillitatem humana malicia; ad mutandam autem sententiam sola sufficit divinae manus omnipotens efficacia, nec putare poteris, si veritatem ipsam insistis, apostolum Petrum, quando coepit detestari et iurare, quia non novisset hominem, de domino mutasse sententiam.

Ubi ego scripsi: quam sententiam superioribus verbis suis ille ipse deicit, nec attendit, —

dum insatiabili¹⁾ odio illum persequeris, te ipsum turpiter infamare non erubescis. Qui enim contraria iurat, in alterutro, necesse est, periurii crimen incurrat. Ergo *cum verba ad iurandum tibi tradita inter se contraria astruas, periurum te esse impudenter pronuncias.* O infelix homo, o miserrima anima, (33) cur te credere iurabas, quae tantopere inter se dissidere intelligebas? Nonne praestabat, si veram fidem te habere putabas, vitam honesta morte finire, quam periurium facere, perfidiam iurare, fidem abiurare? Sed absit, ut scriptura sancti concilii aliqua inter se contrarietatis oppositione dissideat, si remoto calumniandi studio diligens lector ad intelligendum curam impendat, et hoc posterius patebit.

Pacem cordis mei, inquit ego, Dei misericordiam loquor, ignorans non mihi odii notam affigere monachus debueras aut sacerdos. Quae enim vere dicuntur, non erant odio deputanda, tuque, cum hoc scriberes, quod non vera dicerem potius, quam de adscribendo mihi odio consurgere debuisti. Non erubescere me scribis, me ipsum infamare turpiter, quod contraria sibi ipsis iuraverim; et de iuramento quidem, quod iure sufficiat, superius egi. Illud insistendum, quod, etiamsi Romae, qualia dicis, iurassem, omni tamen hic falsitate concludis. Potui enim *timore mortis compulsus, quia non mansuetudine christiana mecum agebatur*, non in nomine Dei viventis, contra ius et fas iurare

¹⁾ inquis tu,

aliquid, et *iuramentum hoc rumpere, iuramenti huius maxime poenitere, quod vigilantiam non fugit tuam.* Non turpitudinis erat, sed *virtutis et gloriae, nec pudori esse debuit,* sicut scribis, pronunciare commissa, sed sicut prius pudori esse oportuit, non refugere committenda, ita subinde, non pronunciare commissa. Infelicem hominem, miserrimam me scribis animam, et in eo mecum facis: confiteor et ego, praeter quod ad iuramentum pertinet, quia fuit nullum adversum me, iniquitatem meam domino, ut remittat impietatem peccati mei, (34) *quod iam imminentis timore mortis perturbatus de veritate conticui,* quod prophetica, evangelica et apostolica scripta in ignes conicere minime satis exorui; sed quis tu sacerdos et monachus, qui res humanas tam nulla in me compassionis miseratione prosequeris? Nimirum viso a latronibus sauciato semivivoque relicto sacerdos tu pertransis, sed divinitus provisum est, quod non me solum reliquit invecio iusticiae tuae, quae, ut ait beatus Gregorius, non compassionem habet, quia falsa. Non minus enim, quam in me, invecio tua in prioris populi sacerdotem Aaron, in Petrum ecclesiae fundamentum, in Platonem intenditur, mundanae illius philosophiae gemmam. Nota omnibus in ecclesia Christi eruditis scribo. Aaron, cum populare in eum murmur insurgeret, moras faciente in monte Moyse, vitulum aureum, quem sacrilegus adoraret populus, non sine maxima perturbatione conflavit. Quanta perturbatione Petrus apostolus coeperit detestari et iurare, quia non no-

visset hominem, perpendere potest, qui attendit, quanta attestazione prosequatur, quod prius intellexerat Petrus, ipsa veritas dicens: caro et sanguis non revelavit tibi, sed pater meus, qui est in coelis. Neque non intellexisse putandus est, quod ei a patre revelatum confirmatur ab ipsa veritate, nec turpiter vel impudenter fecisse dicendi sunt Aaron, quod sacrilegi populi murmur Moysi iurganti opposuit, Petrus, quod, ubi eum respexit dominus, amarissime flevit. Platonem illius philosophiae excellentissimum scribit beatus Augustinus in libro de vera religione sacrificasse naturae pravae suorum temporum opinionis timore, (35) ut quasi peccatum, quod caste vixisset, aboleret suum. Quamquam ergo infelix homo meus, anima mea miserima, quod te veraciter scripsisse concedo, in quo omnium, qui haec forte legerint, misericordiae viscera mihi compatiantur obsecro, (nec quia haereticus fuerim, quod tu mihi mendaciter, Deo miserante, ascribes, sed quia ab asserenda veritate instantis mortis timore conticui, quia prophetica, evangelica et apostolica scripta in ignes ad vulgi iussione conieci), nullius dignitatis, excellenciae eruditionisve tantos viros comparabilitate contingat, tamen non minus invectio haec tua in sacerdotem Aaron, in apostolum Petrum atque philosophum Platonem pergit, ut similiter dicere possis in sacerdotem, in apostolum: infelices homines, miserrimae animae! Summa enim infelicitas, summa miseria, admittere sacrilegium idolatriae, detestari ac iurare, quia non novisset hominem, quem usque eo nove-

rat, ut etiam Deum illum esse a patre sibi revelatum fuisset. Si noveras, o Aaron, auctorem et administratorem rerum, gloriam tuam, in similitudine vituli non esse mutandum, si noveras, o Petre, revelante patre, qui in coelis est, Christum esse filium Dei, nonne praestabat, vitam honesta morte finire, quam tantum tantos vos sacrilegium committere? — Sed absit, inquis tu, ut scriptura sancti concilii aliqua a se contrarietate dissideat, si remoto calumpniandi studio ad intelligendum lector curam impendat, et hoc posterius patebit. — Te quidem, inquis ego, in omnibus tractatus tui posterioribus, si diligenter quis agat, secundum quod illud poëta cuidam, parum vel nichilum omnino curare videbit, quo promissa cadant (36) et somnia Pythagorea. Ego interim dixerim, in eo, quod scribis: sancti concilii, nulla te posse falsitatem scripti tui ratione latere. Novi enim nostrorum temporum episcopos et abates, teque nosse incertus esse non possum, rem omnibus indissimulabilem loquor, quam *nullae urbes hoc tempore ecclesiastica institutione episcopos accipiant*. Unde, ut superius dixi, calumpniae in me tuae est, quod scribis: sancti, non eorum, qui concilio interfuerunt, religionis, quos expertus sum ipse, (teste conscientia loquor), *non solum christiana mansuetudine, sed nec modestia rationabilitatis humanae mecum agere noluisse, spiritualitatis nomen in refectione mensae dominicae nec audire potuisse*.

Ubi ego scripsi: qui enim dicit: panis et vinum altaris solummodo sunt sacramenta, vel panis

et vinum altaris solummodo sunt verum Christi corpus et sanguis, modis omnibus, superesse panem constituit, — nichil horum, inquis tu, Romana synodus credendum decrevit vel *Humbertus ad iurandum* tibi tradidit. Prior quidem sententia, per quam dicitur: *panis et vinum altaris solummodo sacramenta sunt*, tua est tuorumque sequacium, posterior vero, quae enunciat: *panis et vinum altaris solummodo sunt verum Christi corpus et sanguis*, nullius hominum est. Nam et tu *veritatem carnis et sanguinis negas*, et ecclesia Christi sic panem et carnem, vinum credit converti in sanguinem, ut tamen *salubriter credat et veraciter recognoscat, sacramentum esse dominicae passionis, divinae propitiationis, concordiae et unitatis, postremo assumptae de virgine carnis ac sanguinis*, singula suis distinctisque modis, de quibus suo loco ac tempore evidentius disseretur. In praesentia tantum ostendere suscepi, verba Romani concilii, quae (37) te servaturum iureiurando firmasti, nulla a se invicem contrarietate differre. Arguentibus enim te amicis ac necessariis tuis, quod aut non servanda iurare non debueris, aut iurata servare, infamare soles *Nicholaum pontificem* reliquosque patres Romani concilii, videlicet quod docentes ac scribes contraria tui fuerunt causa periurii. Id quoque in hoc opusculo, quod destruendum suscepi, ubique fere laboras efficere, propterea conferenda sunt verba tua verbis eorum. Dum dicis ——— Romanam synodum, de qua mihi fons ipse moderationis atque humili-

tatis praescribit, non quod tu, sanctum concilium, sed: sinite illos coecis duces coecorum, nichil horum credendum mihi tradidisse, verum dicis, inquit ego, quantum ad illos, qui non consenserunt in perturbatione mea concilio illi et actibus eius, qui, veritatis non ignari et ipsi discipuli Iehsu, revera soli sinodus erant dicendi, tantum propter metum Iudaeorum occulti; quantum autem ad *Humbertum* et assensores eius, non satis vigilanter insistis. Revera enim *Humbertus* et quicumque tecum et cum *Pascasio illo Corbeiense monacho*, (cuius vecordiam, donante ipsa veritate, cui contraria sensit ineptus et scripsit, si desistatur a gladiis et fustibus, per ipsa illius scripta facere omni cordato homini suficio manifestissimam), qui dicit, *nichil esse post consecrationem in altari, nisi carnem Christi et sanguinem, ita tamen sentiens dicit: panis et vinum altaris post consecrationem sunt corpus Christi et sanguis, dixisse sibi videtur: panis et vinum altaris post consecrationem sunt solummodo verum Christi corpus et sanguis*¹⁾, — hocque excludit dicendi ratio, quia, qui dicit: non esse — post consecrationem (38), nisi carnem²⁾,

¹⁾ ita, ut dixisse putetur: non est in altari post consecrationem panis vinique subiectum, sed carnis et sanguinis sensualis. Sed non idem est, quod dicit aliquis: panis et vinum post consecrationem altaris sunt solummodo verum Christi corpus et sanguis, et quod dicitur: non est post consecrationem in altari substantia panis et vini, sed porciuncula carnis Christi et sanguinis, Ann. cod.

²⁾ sensualiter et sanguinem in altari, Ann. cod.

nullo modo permittatur dicere: panis altaris post consecrationem est corpus Christi. Quod Humbertus ille minime attendit sibi non licere, sed utrumque indissimulabiliter scripto suo se afferre monstravit, et: nichil esse in altari post consecrationem, nisi carnem, et dicendum esse: panis altaris post consecrationem est caro Christi, stupendumque nimis, scriptum tuae eruditionis tanta falsitate, tanta esse potuisse temeritate notabile, ut dicas, meam esse sententiam, quasi a me hoc audieris vel a scripto meo acceperis, quae mea non est, et ipso auditu a quovis excludi potest quantaecunque eruditionis. Quis enim vel modicum eruditus omne, quod ita dicitur, sicut sacramentum, vides licet: alimentum, elementum, vestimentum, ornamentum et eiusmodi infinita nesciat, solitarium esse non posse? Nomina enim rerum ad differentiam rerum ipsarum quodammodo solitaria dici possunt, verbi gratia: pronunciato nomine, quod est: terra, solius est terrae, quod auditur; item audito eo, quod est: panis, ad plura non erit excurrendum. Pronunciato autem eo, quod est: elementum, ad pluralitur, nisi, unde agas, de terra, an de aqua, aut ceteris determines, et sicut terrae adhibetur nomen hoc: terra, quo discernatur ab aliis, ita elementum _____¹⁾, sed est ei commune cum ceteris. Item sicut cuidam rei nomen aptatur capitaliter, quod est: panis, ita aptatur etiam _____¹⁾ illud, quod est alimentum iam

¹⁾ Verba in codice extincta.

commune cum aliis. Sicut ergo nomen istud: alimentum non statuit auditorem, sed movet ad cibos omnes et potus, de quo forte dicatur, ita pronunciato eo, quod est sacramentum, auditori eundem mente est ad rem aliquam, quae, licet alio designata (39) nomine, hoc tamen, quod est sacramentum, cum aliis commune accipiat, unde beatus Augustinus contra Faustum: panis et vinum non quaelibet, sed certa consecratione mistica non nascuntur nobis, sed fiunt¹⁾. Proinde, inquit beatus Augustinus, quae non ita fiunt, quanquam sint alimenta refactionis, non sunt sacramenta religionis. Haec forte ad fastidium prosequor, quia dixisti, meam esse sententiam, qua dicitur: panis et vinum altaris solummodo sacramenta sunt, quod vecordissimum erat dictu. *Dum enim dicitur: panis et vinum sacramenta sunt, minime panis aufertur et vinum, et nominibus rerum ita natarum significativis aptatur nomen, quod non nata sunt, ut est: sacramentum;* simul etiam esse aliud aliquid minime prohibentur, sunt enim, sicut secundum religionem sacramenta, ita secundum aliud alimenta, sustentamenta. Quocirca non meum fuit, dicere: panis et vinum altaris solummodo sunt sacramenta. Porro quod scribis, nullius esse propositionem illam, quae enuntiat: panis et vinum altaris solummodo sunt verum Christi corpus et sanguis, multa praecipitatione dictum videtur, quia non facile inno-

¹⁾ Quid fiant, non tacuit, cum dicit: consecratione fiunt mistica, quod omnino non accipi potest: auferuntur corruptione subiecti.

tescere tibi potuerunt omnium sensa vel enunciata, multa et professione tua indignissima falsitate, quia meum illud, ut scribis, iuramentum, quod tantopere tuo scripto inserere voluisti integrum, hoc indissimulabiliter continet, vel verborum iuncturae ratione, vel continentia sententiae. Prius enim se ita habent *verba Humberti: anatematizo omnem haeresin, praecipue eam, quae astruere conatur, panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem solummodo esse sacramenta et non verum Christi corpus et sanguinem. Dum dicit, solummodo esse sacramenta, si utrumque concedebat, et quod enuntiatur: panis in altari (40) consecratus est sacramentum, et quod enunciat: panis in altari consecratus est Christi corpus, apponere debuit ratione dicendi adverbium: etiam, ut ita scriberet: quae astruere conatur, panem et vinum, quae ponuntur in altari, post consecrationem solummodo esse sacramenta, et non etiam verum Christi corpus et sanguinem. Quia vero determinationem illam non apposuit, reliquit supplendum a superioribus ratione dicendi et repetendum: solummodo, ut ita, qui legit, intelligat: quae astruere conatur, panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem solummodo esse sacramenta, et non solummodo verum Christi corpus et sanguinem, maxime cum Pascasii illius tui Corbeiensis monachi meorumque adversariorum omnium ita se vecordia habeat, *non superesse post consecrationem panem et vinum in mensa dominica, quasi consecratio aliqua illud, quod**

consecratur, per corruptionem subiecti absumat, vel consecrari: per corruptionem subiecti absumi uspiam scripturarum aliquo intelligendi genere interpretari oporteat. Quae si ita Humbertus ille tuus prosequenda reliquit, contrarius sibi fuisse convincitur in sequentibus iuramenti, ut scribis, mei, ubi ait: scilicet panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramenta, sed etiam verum Christi esse corpus et sanguinem, quibus verbis veritatem catholicam, quam destruere susceperat, astruit. Dum enim dicit: panis et vinum, quae ponuntur in altari, manifestum facit, se agere *non, de spirituali potu ac cibo, carne Christi et sanguine, quae per similitudinem dicuntur panis et vinum*, quo tu confugium faciens laqueum potius incurristi, sed de pane et vino, quae in altari ponuntur et *non tropice, sed proprie dicuntur panis et vinum*. Dum dicit: panis et vinum post consecrationem sunt non solum sacramenta, sed etiam verum Christi corpus et sanguis, manifeste asserit, *panem et vinum, non tropice, sed proprie dicta*, in altari consecrata et sacramenta esse, et verum Christi corpus et sanguinem. Ponamus autem, secundum quod tu legi velle videris, Humbertum non ita posuisse superius: solummodo, ut repetendum sit in posterioribus, etiam sic contrarius sibi esse convincitur, verumque erat, quod tu falsum dicere voluisti, etiam Humbertum tuum veram de sacrificio ecclesiae, vellet nollet, tradidisse, nec advertisse, sententiam. In evidenti enim res est, Humbertum sentire, quod etiam tu videris astruere,

panem et vinum, quae ponuntur in altari, materiali, ut verbis tuis utar, *mutatione auferri*. Quod si sensit Humbertus, nulla potuit dicere (41) ratione, panem et vinum, quae ponuntur in altari, post consecrationem non solum sacramenta, sed etiam verum Christi esse corpus et sanguinem. Age enim, constituamus per enuntiationes ante oculos, quod indissimulabiliter talia verba nulla ratione non continent. Panis et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem sunt sacramenta. Item: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt verum Christi corpus et sanguis. Utrumlibet horum concesseris, *panem superesse post consecrationem in mensa dominica*, omni procul ambiguo concessisti, *multumque a se ipso dissidet*, qui dicit, *panem in altari materialiter absumi*, et nichilominus enuntiat: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt verum Christi corpus et sanguis, verumque irrevincibiliter manet, *omne, quod est, aliud esse in eo, quod est, aliud in eo, quod aliquid est, nec posse quippiam aliquid esse, cui contingat, ipsum non esse*. Ac per hoc, dum dicitur: panis in altari consecratus vel panis sanctus, panis sacrosanctus est Christi corpus, omni veritate panis superesse conceditur. Verbi gratia ¹⁾, si enuntias: Socrates iustus est, aliquid eum esse constituisti, nec potest iustus esse, si contingat, Socratem non esse. Quod dicis, *infamare me solitum Nicholaum papam Romani-que patres concilii*, dum me solent de periurio

¹⁾ si enuntias: Socrates est, ipsum esse firmasti, ANN. COD.

arguere amici, quasi ipsi mei fuerint causa periurii, quam verum dixeris, viderit tua professio, viderit eruditio; nullus enim amicorum de eo mecum, quod scribis, egit, nullus a me, quod iuraverim, unde satis superius sum locutus, audivit, nullus me docuit, *solus Humbertus ille, inconvento et inaudito me, sine mora et lima* diligentioris secundum scripturas considerationis, (42) quod voluit, scripsit, nimiaque *levitate Nicholas* ille, de cuius *ineruditione* et *morum indignitate* facile mihi erat non insufficienter scribere, ut sine iniuria de illo proponi potuerit: propheta prophetans mendacium ipse est cauda. Possem etiam eorum, quos *plus de calumpnia mea*, quam de rei veritate *patres* appellas, quas ipse audivi, assignare *ineptias*, ut merito etiam de eis ad evangelicum illud: coeci sunt duces coecorum, recurrere debeam. Quod dixerat Humbertus, approbavit, approbaverunt et plurimi, qui nunquam evangelicum illud: scrutamini scripturas, et illud: erratis, nescientes scripturas, satis exceperunt aure interiori.

Nicholaus, inquis tu, comperiens, te dicere *panem et vinum altaris post consecrationem sine materiali mutatione in pristinis remanere essentiis, concessa tibi respondendi licentia, cum non auderes* pro tuae partis defensione respondere aliquid, ad preces tuas praecepit tibi tradi scripturam, cuius principium hoc erat: *Ego Beringerius* anatematizo eam haeresin, de qua hactenus infamatus sum, quae astruere conatur, panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem solummodo

sacramentum et non verum corpus et sanguinem domini nostri Iesu Christi esse. Rectissime id quidem et ipse praecepit, et synodus assensit, et tu executus es, si labium dolosum in corde et corde locutus non fuisses, si ad pristinum vomitum et ad volutabrum luti infeliciter periurus postea non rediisses. Sacrorum namque canonum auctoritate instruimur, ut nemo ab haeresi revertens ecclesiasticae communionis particeps esse permittatur, quoad usque perversum dogma vinculo anathematis dampnare (43) compellatur. Verum in his verbis nec verba tua superius posita, nec eorum sententias ququam poterit invenire, unde apparet, te perversorem ac subversorem esse divinarum litterarum, et ex depravatis fictisque sententiis erroris nebulas spargere imperitis, falsumque esse, quod ex falso principio constiterit emanare. ——— Quod dicis, inquit ego, comperisse papam Nicholaum, de corde tuo loqueris, non de veritate. Ego longe verius te, quid cum Nicholao egerim, novi; *ego Nicholaum papam, quanta potui, obiurgatione adortus, cur me quasi feris obiecisset, immansuetis animis,* qui nec audire poterant spiritualem de corpore Christi refectionem et ad vocem spiritualitatis aures potius opturabant, minime ad hoc adducere potui, ut me ipse mansuetudine christiana paternaque diligentia audiret, vel, si id minus liceret minusve liberet, idoneos ad negotium, qui scripturas ex mora et lima intenderent, eligeret; qui Romam tanto contendissem labore ultroneus, si non probandus, multo essem minus cum praecipitatione dampnandus, sed

potius ex otio christiana mansuetudine audiendus, paterna diligentia approbandus, misericordia, si ita res exigeret, admonendus, urgendus. Solum mihi, ut *in Hildebrannum ista conuicerem*, papa respondit. Ita nec de mutatione sacramentorum, quam novitate verbi contra artem, ubi de generatione et corruptione subiecti agitur, et contra consuetudinem scripturarum, ubi habes: hae sunt generationes coeli et terrae, *materialem dicere voluisti*, aliquid in me comperit, *nec mihi respondendi licentiam fecit*, nec quia non auderem, defendere partes meas, de quibus mihi in nullo minus constabat, quam binario geminato quaternarium constitui, sed quia comminatione (44) *mortis et forensibus etiam litibus, indignissima mecum agebatur tumultuaria perturbatione, usquequaque obmutui, nec ullas, quod mentitur scriptum tuum*, ad papam ego preces feci, tantum cum obmutuissem, ne mecum christianismo suo indignum agerent, corde convolvens *humi procubui*, et secundum hoc, quod dicis illum rectissime praecipisse, iniustissime diceres, si verum dicere voluisses. Non enim ego panem et vinum solummodo esse sacramenta dicebam, immo inaudito mihi inconvictoque mansuetudine christiana praecipendum nihil fuerat. Vellem, miseratione divina, non reddere convitiis tuis convitia, quia scribis me labium dolosum in corde et corde locutum, ad vomitum redisse et volutabrum, qui nunquam me contra calumpniam tuam audisti, nunquam, quid sentirem, sicut nec papa ille, nec synodus tua, mansuetudine

christiana pervidisti. Sed quidquid scribas tu, ego *gloriam habeo sub iudice Deo testimonium conscientiae meae, quod daemonium, quod mihi ascribis, non habeam*, quod, quidquid Romae ad defensionem meam habebam, prophetae, apostoli, evangelistae atque ipsius veritatis fuit, indignum nomine vomitus aut volutabri, sed non indignum nomine perceptionis, donante patre misericordiarum, intimae veritatis, nec a corde aliquando, ut ad illud redire possem, regeri potuisse, etiam si potuissem, ancilla perturbatus, quia non novissem hominem, detestari ac iurare, *in eoque meam tecum infelicitatem confiteor maximam, quia instantis timore mortis atque insanorum perturbatione deiectus (45) a protestatione veritatis et defensione mea obmutui, non quod a percepta unquam veritate desciverim*, quanquam nobilem quendam michique in immensum superiorem de quodam forsitan non dissimili, cui interfuisset, concilio dixisse non nesciam: compressus indoctorum grege conticui, veritus, ne merito haberer insanus, si sapiens inter insanos videri contenderem. Quod dicis, in his verbis nec verba mea, nec sententias posse inveniri, quid tibi volueris, non pervidi, nisi meam, immo ipsius veritatis sententiam, quae ¹⁾). Contra illud, quod tibi

¹⁾ quae asserit, in sacrificio ecclesiae esse sacramenta *panem et vinum, quae proprie dicantur panis et vinum, non tropice, ipsaque sacramenta, i. e. panem et vinum esse corpus Christi et sanguinem, non contineri verbis Humberti putavisti forte. Nimia autem, hoc si ita fuit, vecordia*

scripsisti apparere, divinarum me esse perversorem litterarum, respondeo: falsissimum scribis, sicut etiam illud, quod scribis, me nebulas erroris aspergere imperitis, unde mihi videor satisfacisse superius dictis.

Ubi ego scripsi: sicut enim, qui dicit: Christus est summus angularis lapis, Christum non auferit, Christum esse animo constituit, ita, *qui dicit: panis altaris solummodo est¹⁾ corpus Christi, panem in altari esse non negat, panem et vinum esse confirmat in mensa dominica. —*: verum, inquis tu, adnecteres, si, ignarus veritatis, priorem propositionis partem quisquam statueret, nisi forte figurato locutionis modo verbum illud proferret. Solemus enim *aliquas res illarum rerum, ex quibus efficiuntur, nominibus appellare, quamvis in aliam naturam translatae iam non possint esse illud, quod sunt res illae, ex quibus probantur effectae*, sicut beatus Augustinus in extremo psalmorum explanationis opere cristallum vocat nivem multorum annorum duratam tempore et serie seculorum, cum nix sit liquida et humida, cristalli vero natura (46) existat dura et sicca. Ac per hoc, cum tam diversae naturae sint in utrisque, non recte quis cristallum nivem

putavisti. Prorsus sententiam istam verba Humberti continent, quae ita intendit, panem et vinum, quae ponuntur in altari, non solum sacramenta esse, sed etiam verum Christi corpus et sanguinem. Ann. cod.

¹⁾ sacramentum, vel panis altaris solummodo est

Ann. cod.

vocaverit, nisi eo locutionis modo, quo res effecta materiali solet nomine appellari. Et creator ex terra creato primo homini in genesi dicit: terra es et in terram ibis, quasi diceret: quia factus es ex terra, quandoque fies terra et reverteris in terram. Verumtamen, ut dixi, has sententias nemo catholicus recipit, christiana eas religio non admittit. Nam priorem tuam esse tantum tuaeque sectae, nemo qui ambigat, posteriorem vero neque tu recipis, qui carnis ac sanguinis negator existis, neque nos, qui sic utrumque fatemur, ut tamen multarum et excelsarum rerum figuram ac sacramentum esse minime abnegemus. Porro similitudo, quam de domino Iesu Christo et lapide angulari posuisti, te impedit, nos expedit. Sicut enim, qui dicit: Christus est lapis angularis, non revera Christum lapidem esse constituit, sed propter aliquam similitudinem, quam ad se invicem gerunt, tale nomen ei imponit, eodem modo, cum divina pagina corpus domini panem vocat, sacrata ac mistica locutione id agit, seu *quoniam ex pane conficitur eiusque nonnullas reiinet qualitates, seu quia animam incomprehensibiliter pascendo satiat, eique aeternae vitae substantiam subministrat, vel quod corpus est filii Dei*, qui est panis angelorum et in quem, sicut ait princeps apostolorum, desiderant angeli prospicere, seu aliquo alio modo, qui a doctioribus potest, a nobis comprehendendi non potest. — Nimium transeunter, inquit ego, hic videris exequi tuas partes; sicut et superius, ubi posuisti: verum in his verbis *nec verba*

tua, nec sententias quis poterit (47) invenire, nec satis distinxisti, quid diceres in his verbis, quae mea diceres verba et sententias, ita et hic, dum dicis: verum adnecteres, oportuit, quid adnexum meum diceres, manifestissime denotari, nec praepe- dire adversario vim respondendi. Ambiguum enim mihi fecisti, in quo tecum consisti oporteat. Si propositionem dicis meam, quae enuntiat: Christus est summus angularis lapis, prioremque eius partem subiectum, terminum adnexum praedicatum, non mihi erat assolens, adnexum appellari terminum praedicatum. Si ergo, ad quod dico, accipi voluisti verba tua, frustra adiecisti: veritatis ignarus, frustra: nisi figurato locutionis modo illud proferret. Quis enim etiam nullius eruditionis nesciat, id, quod dicitur: Christus est summus angularis lapis, per figuram enuntiari? Si autem unam propositionem accipis, quod dicitur: sicut enim, qui dicit: Christus est summus angularis lapis, Christum non aufert, ita, qui dicit: panis altaris est sacramentum vel corpus Christi, panem esse confirmat in mensa dominica, ut priorem partem propositionis dicas illud: sicut, qui dicit: Christus est summus angularis lapis, Christum non aufert, adnexum autem: ita, qui dicit: panis altaris est corpus Christi, panem in altari esse non negat, sic quoque contra eruditionem tuam est quam maxime, quod scribis: nisi figurato locutionis modo, quia, quod dicitur: Christus est summus angularis lapis, omnes, ut dixi, figurate accipiendum esse intelligunt. Sed forsitan neque sicut prius, neque

sicut posterius dixi, verba mea illa prosequeris, sed ita, ut priorem propositionis partem accipias, quod scriptum est: qui dicit: panis (48) altaris est solummodo sacramentum, aut panis altaris est solummodo corpus Christi, adnexum: panem in altari esse non negat, panem et vinum esse confirmat in mensa dominica, et ita te voluisse manifestare videntur scripti tui sequentia, ubi dicis: eodem modo cum scriptura corpus domini panem vocat. Unde priusquam aliquid agam, inde tacere nolui, quod de *cristallo* et *nive* ita prosequeris, ut videaris constituere, cristallum appellari nivis nomine, indeque exemplum ponas de scriptis beati Augustini, ubi tamen manifestum est, beatum Augustinum *cristallum nivem minime appellare*, sed nivem multorum seculorum obduratam tempore. Constat autem eruditioni tuae, *quae ita coniunctim dicuntur, singulatim dici non debere*, et tamen cristallum nivem appellari non dubitas dicere, et *non habet alicuius figuratae locutionis genus, ut materiae nomine appellari soleat illud, quod factum est per corruptionem subiecti de materia* _____

_____ ¹⁾ unde etiam exemplum ponis non minus iustissima ratione improbabile, *quod ad Adam dominus dicit: terra es et in terram ibis*. Quid enim affers, cur non proprio locutionis modo terra homo dicatur, cum dicatur et corpus, terra autem sit corpus, sicut dicitur

¹⁾ Locus in cod. extinctus.

etiam spiritus, quia de corpore constat et spiritu? ¹⁾ Sicut proprie dicitur Christus homo, dicitur Christus Deus, cum de homine atque Deo constare minime dubitetur Christus, cur non dicatur proprio locutionis modo, si de obduratione nivium constet: cristallus est nix, Adam est terra, si proprie dicitur: homo est animal, Socrates est homo, cum non minus sit nix cristallo, Adae (49) secundum quendam modum terra, quam animal homini, homo materies Socrati? Quando enim fit aliquid non per generationem subiecti de aliquo, non per corruptionem subiecti, sicut de auro annulus, de aere conca, de marmore pira, de arbore paries, arcus et tabula, iure materiae nomine appellantur, quod facta sunt de materia, quia non amisit ipsa materia formam suam, ut per corruptionem subiecti transiret in

¹⁾ Quanta coecitas, per illum, qui dicit: ego in iudicium veni, ut, qui vident, coeci fiant! Non attendit, fieri aliquid de aliquo, non simpliciter dici; non attendit, quando aliquid fit de aliquo per corruptionem et generationem diversorum subiectorum, qualiter de sacrosancto altaris pane mentitur fieri porciunculam carnis Christi, nullo modo appellari, quod factum est per generationem subiecti de aliquo per corruptionem subiecti, nomine ipsius, de quo factum sit! Verbi gratia: nec assolens, nec ratum est, dicere de Moisaico serpente: hic serpens est virga. Ceterum, quando fit aliquid de aliquo non per corruptionem eius, de quo fit, sicut factus est Adam de terra, iure appellatur, quod factum est, nomine eius, de quo factum est; ita non per figuram, sed proprie dicitur homo terra, tabula lapidea, lignea, eburnea, lapis, lignum, ebur.

aliud, sed idem subiectum propter eam, quam habebat, aliam nutu divino aut artificis studio formam accepit. Quid autem visum eruditioni tuae, quod iniustissime mihi superius ascripsisti, etiam hic non minus indigne consideratione tua ascribere? Dicis enim: has sententias nemo catholicus recipit; priorem tuam esse, nemo, qui ambigat. Ubi nimis stupendum est, hominem tui ponderis tanta levitate fudisse, neminem, qui ambigat, meum esse, quod meum fuit nunquam, quod non dissimili temeritate mihi in scripto suo attribuere *Humbertus* voluit ille tuus, qui de eo nunquam me audivit, nunquam me, ut omittam dicere cristiana vel monachica, forensi moderatione discussit. Etiam si vere meum esse diceres, innumerabiles tamen etiam tibi esse constaret, ad quos sententia illa minime pervenisset. Ceterum meum, sicut illud superius egi, non fuerat; tantum scriptum illud *Humberti*, quanta Deus donavit, diligentia pertractans ita distribuendum putavi, quod scripserat, ut, quod scripserat, praecipue eam, quae astruere conatur, *panem et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem solummodo esse sacramentum, et non verum Christi corpus et sanguinem, in enuntiationes deducat quis ita: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt solummodo sacramenta; panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt verum Christi corpus et sanguis, vel: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt solummodo verum Christi corpus et sanguis, subaudiendo et a prioribus id, quod est so-*

lummodo, accipiendo. Quo facto inveniretur Humbertus, quicquid horum concederet, concessisse, *non deesse panem et vinum mensae dominicae*, quod negat vulgus (50) atque Pascasius Corbeiensis monachus, negat Humbertus ille tuus, negat omnino, quoque se vertat, qui in sacrificio ecclesiae nihil aliud, *quam portiunculam carnis sensualiter et sanguinis post consecrationem superesse confirmat*, quod tu tamen tuum esse pernegas et causam ponis non de veritatis perspicuitate, non de scripturarum auctoritate, quia, etiam si panem per corruptionem subiecti absumptum constituas, tamen non solum Christi corpus et sanguinem esse confirmes in mensa dominica, *sed etiam corporis Christi et sanguinis sacramenta*, ubi nimirum nimium transeunter agendo elabi velle forsitan videaris. Dicis enim: neque nos, qui ita utrumque fatemur, ut tamen excelsarum rerum figuram ac sacramentum esse minime abnegemus. Oportuit plane, ut, dum dicis: non nego, esse sacramentum figuram, manifeste poneres, *quam rem vel quas res figuram vel sacramentum esse non negares. Omne enim, quod est aliud, est in eo, quod¹⁾ aliquid est, nec potest res ulla aliquid esse, si desinat ipsum esse. Et ne obscurum, quod dico, remaneat*, dicat aliquis: Socrates est, Socrates iustus est; nullo modo Socrates iustus erit, si Socratem esse non contingeret. Ita, cum dicis: non nego, sacramentum esse, quia, sacramentum

¹⁾ aliud est, in eo, quod

esse, ita est aliquid esse, sicut iustum esse, oportet ipsum, quod esse non neges sacramentum, aliquid ante oculos ponere, nec negare potes, quomodo nec Humbertus ille tuus, panem necessario ponendum tibi esse et vinum. Ita enim se habet scriptum Humberti, quod venerabilis sinodus tenendum tradidit, scilicet panem et vinum, quae ponuntur in altari, post consecrationem non solum sacramenta esse, sed etiam verum Christi corpus et sanguinem, quod duci necesse est in (51) enuntiationes et dici: panis et vinum, quae ponuntur in altari, solummodo sunt sacramenta, quod Humbertus, me inaudito et christiana mansuetudine inconvicto, meum esse falsissime scripsit; item: panis et vinum, quae ponuntur in altari, non solummodo sunt post consecrationem sacramenta, verum etiam verum Christi corpus et sanguis; quibus ita ante oculos constitutis indissimulabiliter constat omniscordato homini, *non negare Humbertum illum tuum, susceptum superesse, superesse panem et vinum post consecrationem in altari, quod tamen negare susceperat.* In quo, ut ab illo etiam tu dissentias, laborare videris, dum dicis: ita utrumque fatemur, ut tamen excelsarum rerum sacramenta et figuram esse minime abnegemus, et non apponis, quae ex illius scripto apponenda erant necessario: panis et vinum, quae ponuntur in altari, unde quicquid aliud, quam panem et vinum afferas, quod sacramentum esse non neges, *ab Humberto dissentis.* Nec tamen aliquid tua dignum eruditione fecisti, dum, quid figuram et sacramen-

tum diceres, hoc loco ponere ante oculos noluisti, meque negatorem carnis et sanguinis contra dignitatem tuam, quia falsissime (verba autem sacerdotis aut vera aut sacrilega), dicere voluisti. Porro quod scribis, illud, quod dixi: *Christus est summus angularis lapis, contra me facere*, quia per similitudinem dicitur, partes tuas munire, indiligenter apparet istud te posuisse. Constat enim apud eruditionem tuam, non minus *tropica locutione dici: panis*, qui ponitur in altari, post consecrationem est corpus Christi et vinum sanguis, quum dicitur: Christus est leo, Christus est (52) agnus, Christus est summus angularis lapis, totique illi tropicae locutionis generi unum patere, non amplius, exitum: ut, ubicunque praedicatur non praedicabile, quia tropica locutio est, de non susceptibili, alter propositionis terminus tropice, alter proprie accipiatur. Verbi gratia: petra Christus erat, inquit apostolus, constatque, subiectum terminum, qui est petra illa, quae in deserto manavit aquas, susceptibilem eius praedicati, quod est Christus, quod est homo Deus, usquequaque non esse, ac per hoc apostolicam illam propositionem subiectum terminum, quod est petra, propria locutione, praedicatum, quod est Christus, tropica locutione habere. Unde beatus Augustinus: petra Christus in signo, verus Christus, i. e. secundum rei proprietatem consideratus, in carne et verbo. Item, cum dicit dominus de pane illo, quem primo in privilegium promovit, illud ut esset corpus ipsius: hoc,

i. e. haec res, hic panis est meum corpus, non est locutus proprie, quia nec panis ille individuus, quem in eam provexerat dignitatem, ut digne sumptus valeret ad animae salutem, susceptibilis erat praedicati individui illius corporis, quod sibi in utero virginis Dei sapientia fabricavit; et ita subiectus terminus, quod est panis, propria perpendendus est locutione, tropica praedicatus terminus, quod est in propositione: meum corpus. Nec quidquam pro te, omnino facit contra te enuntiatio illa, quae dicit: Christus est summus angularis lapis, quia, sicut nulla ratione constabit propositio ista, si subiectum eius terminum, quod est Christus, quod est homo Deus, propriae illum non expendendo locutionis modo, sustuleris, ita nec ipsum, quod dicit veritas ipsa, verum (53) esse constabit, si propositioni illi, quae dicit: hic panis est meum corpus, ubi subiectus terminus, qui est panis, propria non potest locutione non expendi, stupenda in tua eruditione vecordia panem deperisse contenderis sensualem; nec quicquam efficis, dum in negotio investigandae veritatis contra eruditionem tuam, contra monachatum tuum non recta consistis. Dicis enim ita: cum scriptura corpus domini panem vocat, secundum quod ineptit Pascasius Corbeiensis monachus, qui propter hoc in mensa dominica asserit dici a sacerdote: offerimus panem sanctum vitae aeternae, quia Christus, cuius corporis particulam adesse sensualiter in altari mentitur, appelletur panis, qui de coelo descendit, panis

vivus¹⁾, in evidenti res erat, dominum *Christum in coena non pani tropico, sed sensuali benedixisse, sensualem panem fregisse, de pane sensuali dixisse: manducate ex hoc*, hoc enim, i. e. haec res, i. e. hic panis sensualis est corpus meum. In evidenti res est, non tropice, sed *proprie proponi panem*, ubi dicit sacerdos: offerimus tibi panem *sanctum*, quia praemittit: de tuis donis ac datis, quod necessario accipitur: de numerositate creaturae tuae multiplicis, vel de creatura panis et vini. Quod ut ostendat beatus Ambrosius, se velle ita accipi, apponit demonstrativum pronomen et dicit: offerimus tibi hostiam sanctam rationalem, hostiam incruentam, hostiam hunc panem sanctum, secundum apostolum, qui dicit: quicumque manducaverit panem hunc, tanquam dicat: non tibi offertur sacrificium panis mensae communis, sed sacrosanctus hic panis altaris. Non dissentit etiam Humbertus tuus a canone mensalis orationis, dicens: panis et vinum, *quae ponuntur*

¹⁾ sed quod ita tam tu, quam susceptus tuus Pascasius Corbeiensis monachus elabi contenditis, nihil pertinet ad ea, quae tueri suscepistis. Agebatur enim contra te, panem esse in mensa dominica post consecrationem non tropicum, sed sensualem; tu ad intensa consistis inepte, *panem esse in mensa dominica, sed tropicum*, quia ibi esse confirmas portiunculam carnis Christi, quae dicatur tropice panis, qui de coelo descendit. Sed ita ad intensa consistendum non fuit tibi, cum ad contradictionem esse eiusdem pernoveris de eodem; et alia longe propositio est: corpus Christi vocatur panis, alia: panis altaris vocatur aut est corpus Christi, quanquam Ann. cod.

in altari, sunt Christi corpus et sanguis; quae enim ponuntur in altari, proprie dicuntur, non tropice, panis et vinum. Quod ergo dicis: quando scriptura (54) corpus Christi panem vocat, ut ita diceres, suscepta minime patiebantur tua. Susceperas enim, tueri, quae ita se habent, verba Humberti: consentio, panem et vinum, quae ponuntur in altari, non solum sacramenta, sed etiam verum Christi esse corpus et sanguinem. Qui dicit: ponuntur in altari, afferri etiam ad altare, ut in eo ponantur, nulla ratione negabit. Quando autem afferuntur ad altare vel ponuntur in altari, adhuc sunt, ut ait beatus Augustinus contra Faustum, alimenta refectionis, nondum sacramenta religionis, (h)ac per hoc, nondum corpus Christi et sanguis existentia, non tropica, sed propria sunt locutione pendenda. Dicens ergo Humbertus ille tuus, panem, qui ponitur in altari, *post consecrationem esse corpus Christi, panem propria locutione, corpus Christi tropica accipiendum esse constituit*, et illud quidem recte, quia ex auctoritate scripturarum. Dicit enim beatus Ciprianus: quando dominus vocat corpus suum panem de multorum granorum adunatione congestum, populum indicat de gentibus adunatum, et quando sanguinem suum appellat vinum de botris atque acinis expressum in unumque coactum, gregem, item numerum significat. Quod ad hoc inserui, quia nullus in hoc loco beatum Ciprianum panem propria locutione posuisse dubitabit, *quanquam hoc non de Christi corpore*, nato de virgine, quod propria locutione,

sed de populo Christi, qui est ipse Christi corpus, sed tropica locutione dicitur, scripserit. Beatus autem Augustinus in evangelio Iohannis de corpore, nato de virgine, quod non tropice, sed proprie corpus dicatur, satis illi tuo Humberto non dissen- (55) tit, panis, qui in altari ponitur, qui propria locutione panis dicitur, quod etiam post consecrationem corpus Christi appelletur, dicens: dominus noster Iehsus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum rediguntur ex multis, nam panis ex multis granis conficitur, vinum ex multis acinis confluit; ubi panem, qui proprie panis appelletur, corpus etiam Christi, sed tropica locutione, quantum ad eam propositionem, quae enuntiat: panis altaris post consecrationem est corpus Christi, nulla falsitate dissimulat appellari. Nec dissimulare, ut dixi, poterit quivis, dominum in coena sensuali pani benedixisse, panem sensualem fregisse, manducandum discipulis tradidisse; tu autem, qui proposita ab Humberto tractare susceperas, dicis: cum scriptura corpus Christi panem vocat, quasi Humbertus ille non proposuerit, non corpus Christi panem vocari, sed panem, qui ponitur in altari, post consecrationem vocari et esse corpus Christi, *quasi non longe aliud afferat enuntiatio, quae subiectum terminum habet panem consecratum in altari, praedicatum corpus Christi, ita constituta: panis consecratus est corpus Christi, quam illa, quae ita enuntiat: corpus Christi est panis, subiectum terminum habens corpus Christi, quod illa alia praedicatum habebat, prae-*

dicatum panis, quod illa alia subiectum habebat; tantumque abest, ut idem sint enuntiatio, quae dicit: panis in altari consecratus est corpus Christi, et illa, quae enuntiat: corpus Christi est panis, ut panis, qui consecratus in altari factus est corpus Christi, nunquam fuerit corpus Christi ante consecrationem altaris, corpus autem Christi, quod in coelo (56) sedet ad dexteram patris, nulla consecratione instituaturs esse panis semperque obtinuerit corpus illud, postquam conceptum est in utero virginis, suae privilegio dignitatis, non cuiusque solemnitate consecrationis, ut vero quisque potuerit de eo praedicare, *sed tropica locutione*, id, quod est panis, ita enuntiando: corpus Christi est panis, qui de coelo descendit. Quod ergo scripsit Humbertus ille tuus: panis et vinum, quae ponuntur in altari, id ipsum beatus Augustinus in evangelio et propria similiter locutione eas res posuit, dicens: dominus noster Iehsus Christus in eis rebus corpus et sanguinem suum commendavit, quae ad unum rediguntur ex multis; nam panis ex multis granis conficitur, vinum ex multis confluit acinis. Tu, quod nichil ad Humberti dicta, nichil ad id pertinet, quod contra me agendum suscepisti, quando, inquis, scriptura corpus Christi panem appellat, mystica locutione agit, et causas ponis, seu quia ex pane conficitur¹⁾. Hoc tu, qui tantam in scripto tuo peritiam tibi attribuere non gravaris, non satis

¹⁾ Quae ibi desunt, in nota videntur addita fuisse, cuius extinctae vestigia in margine inveniuntur. Ann. edd.

diligenter secundum scripturas expendere videris; non enim ex autenticis scripturis facile producturus es locum, ubi ponatur, *confici corpus Christi*, nisi in quo accipiendum sit id, quod dicatur *corpus Christi pro eo, quod est sacramentum corporis Christi*, secundum quod apostolus, quicumque, inquit, manducaverit panem hunc et biberit calicem (pro eo, quod est: vinum), reus est corporis et sanguinis domini, et in sequentibus: sic de pane illo edat et de calice bibat; qui enim manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus domini (pro eo, quod est: sacramentum corporis domini). Unde beatus (57) Augustinus, apostolicum illud tractans, non diiudicans, inquit, i. e. non discernens a ceteris cibus cibum hunc veneratione singulariter huic debita; et consequenter, contemptum enim solum, inquit, non vult cibus iste, sicut nec manna fastidium. Neque fallitur veritas aut fallit, ubi dicit: qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; item: qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, habet vitam aeternam; item: qui manducat carnem meam et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in eo; ut, quem inducit apostolus reum corporis et sanguinis, quia indigne manducavit panem hunc et bibit calicem domini, intelligi oporteat, *non manducasse et bibisse vel secundum exteriorem, quod fieri nefas est, vel secundum interiorem manducationem carnem et sanguinem domini, sed tantum sacramenta carnis et sanguinis.*

Unde beatus Augustinus in eodem evangelio, qui non manet, inquit, in Christo, et in quo non manet Christus, procul dubio *nec manducat carnem, nec bibit sanguinem Christi, etiamsi tantae sacramenta rei* ad iudicium sibi quotidie manducat et bibit, et ad Bonifacium episcopum: scripturarum consuetudo, inquit, obtinuit, *sacramenta rerum, quarum sunt sacramenta, nominibus appellari*. Dicitur autem in scripturis panis altaris de pane fieri corpus Christi, sicut servus malus dicitur fieri de malo servo bonus filius, non quia amiserit animae propriae naturam aut corporis, unde beatus Ambrosius in libro de sacramentis, inductionem faciens ad (58) conversionem panis et vini in carnem et sanguinem Christi de conversione mali servi in filium Dei, denique, inquit, tu eras, sed eras vetus creatura; postquam consecratus es, nova creatura esse coepisti. Eusebius Emisenus de eodem, te ipsum, inquit, interroga; a salutis via intrinsecus mortuus exulabas, subito initiatus Christi legibus de filio perditionis adoptivus Dei fieri meruisti, (h)ac sic homo Christi filius effectus est et Christus in hominis mente formatus. *Non ergo caro Christi, quae per mille iam annos constat immortalitate, nec potest usquequaque nunc incipere esse, fit de pane per generationem subiecti sui et corruptionem subiecti ipsius panis, quia caro illa nec absumi potest, quia immortalis et incorruptibilis est, ut destructa et restituta iterum esse incipiat; sed panis altaris, qui nun-*

*quam caro fuerat ante consecrationem, fit non per corruptionem sui, sed per consecrationem caro Christi, quia non potest non superesse materialiter, quid consecretur. Quod autem proprie ad sacramentum pertineat verbum istud: confici, non dissimulat beatus Ambrosius in libro eodem de sacramentis, dicens: ubi venit, ut conficiatur venerabile sacramentum, et in sequentibus prosequens, quorsum tendat confectio, — quod conficimus, inquit (dixerat autem, confici sacramentum), corpus ex virgine est, i. e. panis, qui sacramentum non erat, cui facimus per consecrationem, ut cum eo, quod est panis, sit etiam sacramentum religionis, est corpus natum de virgine. Unde insanissimum dictu erat et *christianae religioni* (59) *contumeliosissimum*, corpus Christi de pane vel de quocunque confici per generationem subiecti (neque tamen proprie hic dici poterat: confici, sicut de virga Moysi non confectus, sed proprie dicitur serpens factus), ut pane absumpto per corruptionem subiecti corpus Christi esse incipiat per generationem subiecti, *quia nec pro parte, nec pro toto potest incipere nunc esse corpus Christi.* Quando autem scripsisti, corpus Christi vocari panem, quia conficeretur de pane, oportuit etiam te distinctius agere, ut manifestum haberet lector, utrum corpus Christi partem velles corporis accipi, an totum corpus Christi. Utrumlibet autem diceres, summa erat falsitate notabile, quia totum corpus Christi, postquam non est datum videre in sepulcro corruptionem, perfecta in-*

corruptione firmatum destrui non potest, ut etiam nunc esse incipiat, (h)ac per hoc quaecunque et quotacunque pars in corpore Christi nullo potest iterum modo per subiecti generationem institui, quia omni omnino modo *impassibilis, incorruptibilis*, nichilominus insecabilis, ut etiam sic falsum sit, quod dicis portiunculam carnis illius adesse in altari. Quod autem scribis: cuius nonnullas retinet qualitates, nimirum sententiam dans, posse aliquid absumi per corruptionem subiecti, cuius tamen proprietates minime absumantur, revera supersint, multum te errare manifestas et velle, quos possis, in errorem adducere, cum non de eruditione, non de ratione, non de cuiusdam istud intendas omni procul ambiguo auctoritate. Constat autem in ipsa veritatis perspicuitate, ad quam cum pervenerit purgator anima, ut ait beatus Augustinus in libro de vera religione, nichil adversum eum temeritati, nichil humanae licet auctoritati, omne, (60) quod constet ex materia et forma, vel quarumcunque proprietatum confluentia, ipsum quod est, maxime debere formae, et si esse per corruptionem subiecti desierit, maxime illud quoque amissioni formae necessario imputari. Secundum enim quod unumquodque consistit, secundum illud idem necessario suum esse amittit, et quodcunque nunc esse inceperit per generationem subiecti, verbi gratia lapis, caro, vel panis, secundum formam necessario esse incipit. Nisi enim hic panis proprium aliquid accepisset, per quod illum non lapidem, non carnem, sed panem esse constaret, nulla ratione panis esse

coepisset; nisi caro haec individua proprium acciperet aliquid, per quod eam non lapidem, non panem, sed carnem esse oculis corporis appareret, nullo modo vel de nichilo, vel de alio aliquo, ut esset caro, institui potuisset. Contra nunquam quilibet panis esse per corruptionem subiecti desinet, nisi id, per quod non lapis, non caro, sed panis erat, forte amiserit. Unde beatus Augustinus de nota omnibus rerum mutatione, quam patiuntur omnia, quae animalibus esui sunt divinitus attributa, amittentia, inquit, proprias formas in corporum fabricam migrant. Haec apud peritiam illam, quam tibi tantam totiens scriptum tuum arrogat, constare indissimulabiliter oportebat. Ponamus autem, individuum quid, verbi gratia digitum meum, igne vel consumptoria vi aliqua absumi per corruptionem subiecti, hic nullo dubitante digiti mei collineatio absumpta non potest non intelligi, nec dico eandem ei, quae est in digito meo, collineationem lapidi, ligno vel cuicumque (61) non posse aptari, *sed aliud est, idem numero esse, aliud, eidem idem specie vel genere esse.* Absumpta est, quae in digito meo fuit, collineatio; quae eadem est ei, non iam digiti, sed sua erit ligni vel lapidis. Ita si absumitur per corruptionem subiecti in altari panis, ut caro esse incipiat per generationem subiecti, non sibi retinet, ut scribis, caro Christi, modo esse incipiens per generationem subiecti, nonnullas qualitates panis absumpti per corruptionem subiecti, *quia corrupto subiecto, quod in subiecto eo erat, superesse quacunque ratione non po-*

tuit. Ergo non oportuit te scripsisse: nonnullas retinet, quasi aliquae superfuerint, quas retineat, aliquae non superfuerint, cum nullae omnino proprietates, quas habuit, antequam consecratur, panis, iam consecrato abesse possint ullo modo convinci, carnem autem Christi, tota immortalitate firmatam incipere etiam nunc esse, sit usquequaque contra rationem fidei. Eorum ¹⁾ autem, quae absumuntur materiali, ut scribis, mutatione, quod ego malo secundum corruptionem subiecti scribere, ut virga Moysi, ut corpus uxoris Loth, cum esse desierunt, causa fuerunt generationi serpentis et statuæ salis, sui subiecti corruptione, ut esse tunc primum inciperent; sed absit, *corpus Christi obnoxium putare corruptioni, corpus Christi vel ex toto, vel ex parte etiam nunc secundum subiecti generationem posse incipere, cum dicat apostolus: etsi noveramus Christum secundum carnem, sed iam non novimus. Christum autem secundum carnem novit, qui eum secundum corpus etiam nunc corruptioni vel generationi obnoxium constituit* ²⁾. De corallo et hebeno, quorum (62) alterum cum sit arbustum, alterum arbor, feruntur diuturna nimium maris humectatione nutu divino lapides fieri. Ista, si verum est, quod de eis opinantur homines, non ita mutari videntur secundum corruptionem subiecti, quomodo corpus uxoris Loth, quomodo virga

¹⁾ *Legendum videtur: Ea.*

Ann. edd

²⁾ *Et sequens periodus negligenter constructa, et tota pagina 62. in cod. lineis ductis deletae sunt.*

Ann. edd.

Moysi, sed quomodo dicit apostolus de eis, qui nollent expoliari, sed supervestiri, ut absorberetur mortale a vita, ita haec absumpta infirmitate, quae lignorum est, ut facile cedant artificum instrumentis vel temporum spatiis, firmitate supervestiuntur lapidea, vel ut non iam facile cedant, vel ut volumina temporum incorrupta sustineant. Etiam si ista intueamur, nichil conferunt vecordiae eorum, qui carnem Christi de pane fieri mentiuntur in altari secundum corruptionem subiecti, quod est panis, et generationem subiecti, quod est corpus Christi, quia, sicut corpus Christi resurgens a mortuis iam non moritur, ita non est, quod corpus Christi vel ex parte, vel ex toto oporteat supervestiri, quia, sicut non quantum ad mortem, ita non quantum ad indigentiam pleni novimus iam Christum secundum carnem. Novit autem revera secundum carnem Christum, qui Christi corpus asserit adhuc esse corruptioni vel generationi obnoxium, vel quarumcunque qualitatum vel collineationum, quas prius non habuerit, susceptivum, quia ea est scripti tui vecordia, ut dicat, carnem Christi factum de pane nonnullas retinere qualitates panis, quamquam eorum, quae supervestiuntur, non sit, ut dixi, consideratio similis. Glacies enim, i. e. aqua vehementia frigoris obdurata obdurationi suae facile solubili obdurationem supervestitur insolubilem; coralii, qualem habent ligna, constantiae (63) maior ulterius multum accedit, nec contingit hoc per corrupti absumptionem subiecti, sed per promotionem in habitum affectionis, vel in superiorem habitus

inferioris, vel per absumptionem unius habitus et institutionem contrarii, quod in eo contingat, in quo absorbeatur mortale a vita. Nimum futurum sum in tanta mora forsitan taedium, suffecissetque forsitan veritatis partibus, ut de sola tecum hoc loco auctoritate ageretur. Scribis enim, sed de corde tuo, non de veritatis perspicuo, Deum, quia omnipotens est, de pane, ut verbis tuis utar, in essentia propria minime remanente, i. e. de pane per subiecti corruptionem absumpto, carnem Christi sui facere, quod est indissimulabiliter, Deum facere, carnem filii sui nunc esse incipere. Per miraculum dicis ista fieri, admirationi deberi; verius dixisses, *ad iniuriam et contemptum Dei*, vel, ut verba ponam beati Augustini, per flagitium vel facinus ista fieri, nec admirationi deberi, nisi ad contemptum admirationem accipias, secundum quod dicitur miratus Naaman, quod iussus sit se immergere in Iordanem. Si enim ad gloriam Dei pertinet, quod dicit apostolus: mors illi ultra non dominabitur, quod dicit: etsi noveramus Christum secundum carnem, sed iam non novimus, et beatus Ambrosius: Christus iam vulnus sentire non potest, ad contemptum vel iniuriam Dei valere necesse est, quod tu erras, veritatem Deum a fidelibus suis exigere, ut mentiantur, *portiunculam carnis, quae nunquam ante celebrationem mensae dominicae extiterit, in celebratione mensae dominicae tunc primum existere coeperit*, esse de Christi corpore, cuius nulla omnino pars negari possit, *per mille et amplius* retro annos extitisse. Ad

Dei iniuriam valet, quod iubeat, ne dicam suam, cuiuscunque carnem hominis (64) per dentes, per flagitium vel facinus manducari. Simul hoc de ore tuo audire exorreo, ut aliunde istud, quam de corde tuo, afferas, exigo. Vere dicitur, angelum sathanae in angelum se lucis transfigurare, quia dixisti, quasi non contra veritatem, per miraculum ista fieri; da de propheta, de apostolo, de evangelista locum aliquem, unde manifestissimum sit, ita debere sentiri de sacrificio populi christiani, ut non in eo sibi constet subiectum panis, fac manifestum, verba ista tua, non remanere panem et vinum in pristinis essentiis, et, si panem videat, qui communicat mensae dominicae, non tamen, quod panem sensualem videat, sibi fidem debere habere, miraculo id attribuendum esse: et ratum habeatur, quidquid tibi videbitur contra veritatem afferre. Nec putet, qui ista legerit, afferre me, non fieri panem corpus Christi de pane per consecrationem in altari. Fit plane de pane corpus Christi, sed ipse panis non secundum corruptionem subiecti; panis, inquam, qui potest incipere esse, quod non erat, fit corpus Christi, sed non generatione ipsius corporis, quia corpus Christi semel ante tot tempora generatum generari ultra non poterit; fit, inquam, panis, quod nunquam ante consecrationem fuerat, de pane, i. e. de eo, quod antea fuerat commune quiddam, beatificum corpus Christi, sed non, ut ipse panis per corruptionem esse desinat panis, sed non, ut corpus Christi esse nunc incipiat per generationem sui,

quia, ante tot tempora beata constans immortalitate, non potest corpus illud etiam nunc esse incipere, unde beatus Ambrosius in libro de sacramentis de mutatione fidelis animae, quae fit in regeneratione, exemplum ducens ad eam mutationem panis et vini, quae fit in refectione mensae dominicae, denique, inquit, tu ipse eras, (65) sed eras vetus creatura; postquam consecratus es, nova creatura esse coepisti; vetus creatura facta est nova creatura, sed abiecta vetustate, *sed manente tam animae, quam corporis proprietate naturae*. Item de filio perditionis fidelis quisque fit filius, quod ante non fuerat, Dei, non alius, quamquam aliud, quam ipse perditionis filius, sed summota perditione, donata per gratiam filii dignitate. Etiam Paulus, ubi dicit: nec quod spirituale prius, sed quod animale, non aliunde intendit fidelem fieri spiritualement, quam de animali, sed manentibus subiectis animae et corporis; nec Fulbertus episcopus, qui scripsit de propectu fidelium: de servo miles fiet et de milite proles, et qui secundum idolatriam ait: per celebres actus Deus est ex Hercule factus, aliunde militem, quam de servo, vel alium, quamquam aliud, factum militem, quam servum, aliunde prolem, quam de milite, et aliunde Deum factum, quam ex Hercule, vel alium, licet aliud, quam Herculem, factum Deum dicendi ratione senserunt. Denique verbum caro factum assumpsit, quod non erat, non amittens, quod erat, et panis consecratus in altari amisit vilitatem, amisit inefficaciam, non amisit naturae proprietatem,

cui naturae quasi loco, quasi fundamento dignitas divinitus augetur et efficacia. Alias scribis causus, cur vocari tibi videatur panis caro Christi, ubi et scribendum mihi fuerat, si longum non fieret nimium; tacendum illud non fuit, de re tam evidenti, de re omnibus nota ¹⁾), supervacue scriptum a te fuisse: a doctioribus potest, a nobis comprehendi non potest.

Ubi ego scripsi: non enim constare poterit affirmatio omnis parte subruta (et hoc, sicut dicit beatus Augustinus in libro de doctrina christiana, in ipsa veritatis aeternitate, (66) quae Deus est, indissolubiliter constat), sacris, inquis tu, auctoritatibus relictis ad dialecticam confugium facis, et quidem de misterio fidei auditurus ac responsurus, quae ad rem debeant pertinere, malle audire ac respondere sacras auctoritates, quam dialecticas rationes. Verum contra haec quoque nostri erit studii respondere, ne ipsius artis inopia me putes in hac tibi parte deesse. Fortasse iactantia quibusdam videbitur et ostentationi magis, quam necessitati deputabitur; sed testis mihi Deus est et conscientia mea, quia in tractatu divinarum literarum nec proponere, nec ad proposita(s) respondere cuperam dialecticas quaestiones vel earum solutiones, etsi, quando materia disputandi talis est, ut huius artis regulis valeat enucleatius explicari, in quantum possum, per aequipollentias propositionum

¹⁾ tropicae dico locutionis modum, tropice enim dicitur caro Christi panis, qui de coelo descendit, Ann. cod.

tego artem, ne videar magis arte, quam veritate sanctorumque patrum auctoritate confidere; quamvis beatus Augustinus in quibusdam suis scriptis et maxime in libro de doctrina christiana hanc disciplinam amplissime laudet, et ad omnia, quae in sacris litteris vestigantur, plurimum valere confirmet. Denique contra Felicianum, haeticum Arrianum, contendens ita hac arte eum conclusit, ut ipse haeticus, non valens ferre locorum ac sillogismorum implicitas atque implicantes connexiones, publica voce exclamaret dicens: aristotelica mecum subtilitate contendis et omnia, quae a me dicuntur, torrentis more praecipitas.

Quod relinquere me, inquit ego, sacras auctoritates non dubitas scribere, manifestum (67) fiet divinitate propicia, illud de calumpnia scribere te, non de veritate, ubi deducendi sacras auctoritates in medium necessitate inde agendi locus occurrerit, quanquam ratione agere in perceptione veritatis incomparabiliter superius esse, quia in evidenti res est, sine vecordiae coecitate nullus negaverit. Unde ipse dominus, adhuc modicum, inquit, in vobis lumen est, ambulate, et apostolus, non potui, inquit, loqui vobis, quasi spiritualibus, et beatus Augustinus in libro de vera religione: rationi purgatoris animae, quae ad perspicuam veritatem pervenit, auctoritas nullo modo humana praeponitur; et alibi, pudet, inquit, imbecillitatis humanae, cum rationi roborandae auctoritas quaeritur, cum auctoritate veritatis, quae omni homine est melior, nichil possit esse praestantius. Verbis dialecticis ad ma-

nifestationem veritatis agere non erat ad dialecticam confugium¹⁾ confugisse, a qua ipsam Dei sapientiam et Dei virtutem video minime abhorrere, sed suos inimicos arte revincere. Ait enim: si ego in beelzebub, principe daemoniorum, eiicio daemona, filii vestri in quo eiiciunt? Et alibi: si David in Spiritu vocat eum dominum, quomodo filius eius est? Maximi plane cordis est, per omnia ad dialecticam confugere, quia confugere ad eam ad rationem est confugere, quo qui non confugit, cum secundum rationem sit factus ad imaginem Dei, suum honorem reliquit, nec potest renovari de die in diem ad imaginem Dei. Dialecticam beatus Augustinus tanta diffinitione dignatur, ut dicat: dialectica ars est artium, disciplina disciplinarum, novit discere, novit docere, scientes facere non solum vult, (68) sed etiam facit.²⁾ Circa dialecticam,

¹⁾ facere, quanquam, si confugium illud accipitur, non me poeniteat, ad dialecticam Ann. cod.

²⁾ De eadem etiam in libro eodem: si quis illa omnia, quae per tot disciplinas late varieque diffusa sunt, ad unum quiddam simplex verum certumque redegerit, non temere iam quaerit illa divina, non iam credenda solum, verum etiam contemplanda, intelligenda atque retinenda. Quisquis autem vel adhuc servus cupiditatum et inhians rebus pereuntibus, vel iam ista fugiens casteque vivens, nesciens tamen, quid sit nichil, quid informis materia, quid formatum animae, quid corpus, quid species in corpore, quid locus, quid tempus, quid in loco, quid in tempore, quid motus secundum locum, quidnam secundum locum, quid stabilis motus, quid sit aevum, quid sit, nec in loco esse, nec nusquam, quid sit praeter tempus et semper, quid sit, et nusquam esse, et nusquam

quantum oportet, satagenti de videndo luce clarius Deo et anima spondere in eodem libro minime dubitavit, nec sequendus in eo es ulli cordato homini, ut malit auctoritatibus circa aliqua cedere, quam ratione, si optio sibi detur, perire.¹⁾ Item in eo, quod dicis, aequipollentias tuas sequi te malle, ab arte dissimulare, non in eo tecum sentiunt praeclarissimi veritatis propugnatores, doctrinae christianae invictissimi assertores, qui circa nulla dissimulant ab arte, a sola abhorrent quasi per artem sophistica illusionem et pugnacitatem. Poteram, si longum non fieret, nominatim doctores praecipuos eorumque de eo praescripta assignare.

Superius, inquis tu, volens astruere, panem vinumque altaris inter sacrandum essentialiter non

non esse, quisquis ergo ista nesciens, non dico, de summo illo Deo, qui scitur melius nesciendo, sed de anima ipsa sua quaerere ac disputare voluerit, tantum errabit, quantum errari plurimum potest.

Ann. cod. *Pro*: quidnam secund. loc. *legendum videtur*: quid non secundum locum.

¹⁾ Quod dicis: dialecticas quaestiones, vel earum solutiones, stultissime tu quidem istud. Quid enim ad divinarum tractatum scripturarum dialecticas quaestiones, vel earum proponere solutiones? Si quis enim tractare suscipiat evangelicum illud: sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus et noctibus secundum prophetiam Ioniae, non per sinecdoche(n), quia scema illud, qualiter hic a quibusdam exponitur, inveniri possit nusquam, ut quarto die Christum resurrexisse confirmet, ad quod mittit ipse dominus, non solum dicens: tribus diebus, quod suffecisset, sed etiam: tribus noctibus, quaenam proponi potest dialectica ratio, ut dicat quis: affirmatio est aliquid de aliquo, negatio est aliquid ab aliquo, vel eiusmodi?

Ann. cod.

mutari, duo quaedam pro argumentorum locis assumpsisti, quorum unum tantummodo tuum esse, alterum nullius hominis, manifestis rationibus approbavi. In qua re magno vitio rem perditam effecisti. Nam quod tuum erat, quaestio erat. Ex eo quippe quaerimus, id opprimere atque evertere omni argumentorum mole atque impulsu satagimus. Porro *nulla quaestio locus esse poterit argumenti*. Argumenti quippe locum necesse est aut per se esse certum, aut certis rationibus approbatum. Quod ergo tantummodo tuum erat, ad probandam rem dubiam assumi minime oportebat, reliquum vero, quod nullius hominum esse constitit, ne id quidem dubiae rei fidem facere aliqua ratione oportuit. Quis enim certum esse aut certum fieri posse arbitretur, quod omnes negant, nullus confitetur? Igitur (69) ne id quidem ad argumentum sumi, rationis fuit. Male ergo utrumque posuisti. His duobus vitiosissimis principiis totam argumentationem tuam identidem repetendo ad finem usque contexis. Ac propterea *necesse est, vitiosum nec concedendum esse, quicquid ex vitiosis nec concessis principiis constiterit emanare*. Adhuc alio argumento probare contendis, panem vinumque post consecrationem in principalibus permanere essentiis, dicens: non enim constare poterit affirmatio omnis parte subruta. Ad cuius rei probationem non oportuit inferri particularem negativam, qua de praesenti quaestione nichil colligitur, sed universalem potius, per quam enuntiatur: nulla affirmatio constare poterit parte

subruta. Age enim, sit particularis negatio tua: non omnis affirmatio constare poterit parte subruta; rursus assumptio tua: panis et vinum altaris solummodo sunt sacramentum, vel panis et vinum altaris solummodo sunt verum Christi corpus et sanguis, utrumque affirmatio est. His duabus particularibus praecedentibus poterisne regulariter concludere, parte subruta ea non posse constare? Absit. In nulla quippe sillogismorum figura praecedentibus duabus particularibus consequenter inferitur conclusio ulla; male igitur eam collocasti. Illud vero perfunctorie non est praetereundum, quod praefatae propositionis tuae veritatem in ipsa aeternitatis veritate, quae Deus est, indissolubiliter constare perhibuisti, idque beati Augustini de doctrina christiana autoritate firmasti. Et quidem propositio vera est, veraeque propositionis vim suo loco posita obtineret, sed tu male et inefficaciter eam (70) posuisti; nec eius magis, quam omnium tam rerum, quam aliarum propositionum veritas apud veritatem omnia scientis ac praescientis Dei aeternaliter constat, qui et res ipsas in principibus ac secundis essentiis condidit easque tam verarum, quam falsarum propositionum causas esse disposuit. Verumtamen in opere de doctrina christiana nec huius propositionis, nec alicuius eius similis beatus Augustinus aliquo in loco mentionem fecit, quod facile quivis scire poterit, si curet ipsum librum legere, si nunquam legit, vel relegere, si fortasse iam legit. In qua re vehementer miror sive errorem, sive stultitiam tuam. Errorem qui-

dem, si prolata testimonia in sacris codicibus aut aliter esse, aut penitus non esse ignoras, stultitiam vero, si ita ceteros vecordes existimas, ut dictis tuis contra antiquam ecclesiae fidem protinus credant eaque velut sacrosancta indiscussa praetereant.

Ne putem mihi te deesse ex copia artis, inquis. Ego tibi circa omnia, quae ad contumeliam proprie pertinerent meam, vellem, ne in immensum eat res, deesse quam maxime, si, submotis his de illis, possem, quae ad assertionem pertineant veritatis, satisfacere. Sufficit enim mihi contra omnem derogationem tuam, contra convitia testimonium conscientiae meae gloria mea, sufficit mihi, donante patre misericordiarum, tantum non deesse propugnationi veritatis, unde, quod dicis coactum te mecum secundum artem consistere, ego, quanquam manifestum sit, te et excusare delictum, si delictum illud erat, et delinquere, unde ad quendam dictum legitur: *nae tu aulae homo ineptus es, qui magis excusare delictum, quam cavere, facile habeo ab omni artium peritia dissimulare, dum his, quae ad asserendam veritatem valeant, possim non (71) inferre fastidium. Illud tacere non debeo, quam indiligenter, quam inconsiderate scripseris, duo me pro argumentorum locis assumpsisse, quanta falsitate unum eorum non desistas meum esse asserere. Humbertus enim ille tuus inaudito me, ut superius dixi, scripsit, quod voluit, et quod meum non erat, mendaciter meum esse confinxit. Scribendi habuit causam, demonstrare, panem et vinum in sacrificio ecclesiae post consecrationem*

minime superesse, pro eo esse excommunicando qui panem et vinum, quae in altari ponuntur astruerent, solummodo sacramenta esse post consecrationem et non verum Christi corpus et sanguinem. In his ipsis scripti sui verbis *deicere* sententiam suam, *quod suum est omnium praecipitanter agentium*, manifestissimum habui et hi quibus non caligarent oculi cordis fumo contentionis, facere manifestum suscepi; ita, ut, quod inscripserat: anathematizo eos, qui dicunt, panem et vinum, quae ponuntur in altari, solummodo esse sacramenta post consecrationem et non verum Christi corpus et sanguinem, in enuntiationes, quo facere nulla poteram prohiberi ratione, deducere. Id autem ita faciendum erat: panis et vinum, quae ponuntur in altari, post consecrationem solummodo sunt sacramenta; item: panis et vinum, quae ponuntur in altari, post consecrationem sunt verum Christi corpus et sanguis, vel ita, ut illud, quod est: solummodo, a superioribus repeterem, quo iungendorum verborum ratio minime prohibebatur et Humberti sententia necessario exigebat: ¹⁾ panem et vinum, quae ponuntur in altari, post consecrationem sunt solummodo verum Christi corpus et sanguis. Ego igitur nichil scripseram, Humberti scriptum enuntiationes istas revera continebat; (7)

¹⁾ (exigebat nichilominus revincendi adversarium ratio, ut quoquo ire temptaret, pervium nichil inveniret; in textu enim enuntiationes deduci poterant verba Humberti.)

hoc ego non pro argumentorum locis, quod te scribere non parvae est admirationis, assumpsi, sed quia ita habebat scriptum Humberti, ut ista duo vel tria de eo necessaria possent enuntiari. *Contrarium sibi ipsi* affirmavi et affirmo Humbertum, de cuius sententia, immo vecordia certus sum, quod neget superesse panis vini que subiecta in sacrificio ecclesiae, neque dubitet tamen ille ipse affirmare, panem et vinum superesse in altari, quoquo deducatur scriptum eius, vel ad enuntiationem, quae ita enuntiet: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt post consecrationem sacramenta, vel: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt post consecrationem verum Christi corpus et sanguis, vel etiam ita: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt post consecrationem solummodo verum Christi corpus et sanguis. Repetito dico: quicumque negat, post consecrationem superesse panem et vinum in mensa dominica, et tamen nobis harum quamcunque concedit enuntiationum, ipse se subvertit, ipse sibi necessario contrarius existit. Verbi gratia, qui totum animal dedit, omni mihi hominem ratione donavit, qui totam mihi domum convincitur donavisse, nulla mihi fundamentum probatur ratione non dedisse. Ita cum enuntiatio, quae dicit: Christus vincit, duas habeat partes, subiectum id, quod est Christus, praedicatum, quod est: vincit, quicumque mihi id totum dederit, quod est: Christus vincit, necessario et eam partem, quae est Christus, et eam, quae est: vincit, dedisse convincitur. Nichilominus, cum

habeat subiectum terminum quaelibet propositionum, quas constituit necessario scriptum Humberti, id, quod est: panis et vinum, quae ponuntur in altari, praedicatum alia propositio:¹⁾ sunt verum (73) Christi corpus et sanguis, vel: solummodo verum Christi corpus et sanguis, *quoquo se veritat, qui cuiuscunque trium enuntiationum totum mihi concesserit, partem totius non concessisse non potuit*, atque ita se ipsum deicit, velit nolit, quicumque panem et vinum, quae ponuntur in altari, superesse post consecrationem negat et enuntiare tamen, ut unam eorum adhibeam: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt verum Christi corpus et sanguis, nullus addubitat. Omni falsitate langues, ubi dicis: primum tuum erat; nulla valuit Humbertus ille tuus veritate, dum, me inaudito mansuetudine christiana, quasi meum aliquid scripsit. Quod tuum, inquis, erat, quaestio erat. Falsissime id quidem. Erat enim meum, Humbertum illum tuum, cum totum michi concederet, partem nulla ratione negare; hoc si tibi quaestio erat, mihi non erat; ad hoc evertendum omni argumentorum mole, quod tanta ambitione scripsisti, omni argumentorum mole atque impulsu tu et omnes, quibus tecum peritiam tribuis, nulla ratione valetis, nulla pugnacitate constatis, nullo tumultu evaditis. Quae autem impudentia tanta in te esse praevaluit, ut probasse certis rationibus te diceres, alterum esse meum, alterum nullius,

¹⁾ sunt sacramenta, alia propositio:

cum nec ratione hoc probaveris aliqua nec auctoritate? Facile est cuicumque, utrum hoc vere dixerim, de scripto tuo pervidere. Porro quod alterum dicis meum, alterum nullius, sicut non satis expectasti, quid meum esset, per me ipsum rescire, ita alterum nimia nullius esse dixisti praecipitatione. *Omnis enim, qui nichil aliud esse confirmat post consecrationem panis in altari, quam portiunculam carnis Christi, panem altaris per consecrationem absumi secundum (74) subiecti corruptionem astruit, et si nichil aliud est in altari, nisi carnis Christi portiuncula sensualis,* non mentitur, qui dicit, post absumptum sensualiter panem esse solummodo corpus Christi in altari.¹⁾ Qui de argumentorum mole et impulsu minabaris, aliquanta diligentia, quid mea a principio diceres, perpendere debuisti, et ex transitu contra adversarium agendum non fuit. Quod di-

¹⁾ insipienterque atque impudenter, tuum illud esse, negari posse putavisti, quod dicitur, solummodo carnem Christi esse in altari post consecrationem, pro eo, quod concedere te dicis, esse in altari post consecrationem panem, cum sit ibi caro Christi panis, qui de coelo descendit. Sed nemo contra te intenderat, non esse Christi, ubicumque sit, carnem panem, qui de coelo descendit. Illud contra te intensum erat, illud depellere, sicut superius dictum est, satis tu suscepas, panem sensualem, qui consecratur in altari, post consecrationem superesse, panem consecratum in mensa dominica non amittere, quod erat, sed assumere, quod non erat, ut praeter naturalem pastionem, quam reficiendo potest adhibere corpori, sit etiam panis vitae aeternae et valeat ad reparandam animae vitam aeternam. Ann. cod.

cis, alio me niti argumento, non attendis, quod dicis. Non enim alio usus sum argumento, unde proxime superius satis egi. Operam das, ut me imperitum artis demonstres, quia scripsi: *non enim constare poterit affirmatio omnis parte subruta*, in quo revera quidam meus multae eruditionis, cum forte vidisset, quod scribebam, ne ita scriberem, admonuit, et sicut tunc, quod dicebat, non magni feci, ita etiam nunc non magni habeo, quod me non secundum artem egisse pro magno intendis. Meliorum me, qui non dissimiliter mihi et etiam revera secundum artem talia scripserint, ante oculos ponere non gravabor exempla. Non iustificabitur, inquit spiritus Dei, in conspectu tuo omnis vivens, non miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem, et ipse dominus: non omnis, qui dicit mihi: domine, domine, intrabit i. r. c., et: non erit impossibile apud Deum omne verbum; beatus Augustinus in epistola ad Galatas: atque utinam Deus non omnia, quae non possumus prohibere faciamus ¹⁾ _____

_____ ²⁾ Si quid secundum istorum negligentiam dixi, non me multum poenituerit; tantum dixerim, quia brevis esse debui, in ista *mea* reprehensione non parvum te locum reprehensioni *tuae* constituisse. Si enim reprehendus fui de sententia, quam dixeram, maxime, quoquo dixissem modo, repre-

¹⁾ *Verba in cod. exstincta.*

Ann. edd.

²⁾ Item in psalmo: non fecit taliter omni nationi, et iudicia sua non manifestavit eis.

Ann. cod.

hendendus (75) fui. Sententia erat: omnis affirmatio constare non poterit parte subruta. Hoc si subvertere posses, constans michi nichilum reliquisses. Quod male sillogismum collocaverim, moras facis, circa rem ipsam nec transeunter agis. Res autem ipsa erat: omnis affirmatio non constabit parte subruta; qui dedit totum, necessario partem dedit, totum propositionem, praedicatum vel subiectum propositionis terminum partem accipi oportere. His omissis artis verba adhibes, de arte loqueris, qui me reprehendis, verba artis posuisse, praedicatum et subiectum. Illud etiam quam maxime reprehendens, quod veritatem connexionis meae in ipsa aeternitatis veritate collocatam dixerim, quid reprehenderes, ignorasti. Dicens enim ego in illo scripto meo, quod subvertere suscepisti, post adhibitam superioribus suis propositionem illam: non enim constare poterit affirmatio omnis parte subruta, et hoc, sicut dicit beatus Augustinus in libro de doctrina christiana, indissolubiliter constat in ipsa aeternitatis veritate, quae Deus est, pronomen: hoc, non ad propositionem meam superioribus suis adnexam, sed ad totam superiorem, qualem imperitiae meae, quam citat totiens scriptum tuum, donavit Deus, dives in omnes, retuli connexionem meam, quae est: sicut, qui dicit: Christus est summus angularis lapis, Christum non aufert,¹⁾

¹⁾ Christum esse omnino constituit, ita, qui dicit: panis consecratus in altari est sacramentum, vel corpus Christi, panem in altari esse non negat, panem esse confirmat in mensa dominica. Ad quam connexionem approbandam per parentes in intuli: non enim constare poterit affirmatio omnis parte subruta. ANN. COD.

Nec verum scripsisti, minime inveniri posse, quod dicerem, in libro illo beati Augustini; in eo enim ita scriptum habes, quod dixi: connexionum veritas non ab hominibus facta, sed ab hominibus inventa in rerum est ratione perpetua. Quo dicto, etiamsi non sit usus verbis meis, non potuit tamen non dixisse, quod dixi: hoc in ipsa aeternitatis veritate, quae Deus est, indissolubiliter constat, sicut, qui dixit: beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit vigilantem, etiam illud: infelix ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit dormientem, non dixisse non potuit. Vehementer te scribis mirari errorem (76) meum vel stultitiam, ubi solum ego scripserim, debere iudicare veridicitatem tuam, quis habendus sit potius stultus et errans, ego, qui nec sensi, quod mihi adscribis, nec scripsi, aut tu, qui falso reputas de praecipitatione odii tui, scripsisse me, quod minime cognoveras me scripsisse. Antiquam ecclesiae fidem scribis: sufficiat, quod superius nimium agitavi, non debere appellari ecclesiae fidem vecordium in ecclesia errorem.

Ubi ego scripsi: est autem affirmatio notissimis partibus suis constans, praedicato et subiecto, quae ita enuntiat: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt solummodo sacramenta, et quae enuntiat: panis et vinum, quae ponuntur in altari, post consecrationem solummodo sunt verum Christi corpus et sanguis, — eadem, tu inquis, te repetere non pudet, propterea, quae paulo ante posui, me etiam replicare oportet. Priorem sententiam

tantummodo esse tuam, posteriorem vero nullius hominis, superius dixi et ita esse documentis clarioribus approbavi: *Nam et tu carnem ac sanguinem negas, in solo sacramento rem totam constituens, et nos sacramentum fatemur et tamen utriusque veritatem fideliter ac veraciter confitemur.* Quod vero dialectica verba, affirmationem, praedicatum, subiectum caeteraque in hunc modum tractatui tantae rei laboras inserere, propter nihil aliud videris id facere, nisi ut hac occasione peritum te disputandi imperitis valeas suadere. Nam et tu sine his nominibus, quod moliris, non impariter posses asserere, et nos, quae a te dicerentur, sacris solummodo possemus testimoniis abolere. — Demonstrare, inquit ego, poteram, quanta impudentia, calumpniari, agere cum erudito ipsius verbis eruditionis, quam minime pudendum fuerit, si quid repetivi, repetere, si non mallet, (77) quae ad iniuriam meam scribis, tolerare, quam lecturis nimia mora generare fastidium. Ad id, quod dicis, priorem meam, posteriorem nullius esse sententiam, superius satisfeci. Inde tacere nolui, quod dicis, argumentis te clarioribus approbasse illud, quod nullo voluisti, quantum ad dandam claritudinem, tractatu attingere. *Stupendum satis, praesertim in tua eruditione, quod non dubitas scribere, me negare carnem et sanguinem, cum concedas, dicere me sacramenta carnis et sanguinis.* Qua enim veritate professus aliquis patrem convinci potest filium abnegasse? *Contra eruditionem tuam scribis, qui me rem totam con-*

stituere in solo sacramento dicis, cum et sacramentum esse, et solum esse minime possit demonstrari aliquid. *Constat enim, si fit sacramentum, nulla posse non esse ratione rem quoque sacramenti*; quod determinate dixerim de sacramento regenerationis et refectionis de corpore et sanguine Dei sui populi christiani, quod sacramenti diffinitiones indissimulabiliter intimant. Est enim sacramentum praescribente beato Augustino *invisibilis gratiae visibilis forma*, et contra F.: non sunt aliud quaeque corporalia sacramenta, nisi quaedam quasi *verba, visibilia, sacrosancta quidem, sed tamen mutabilia et temporalia*. Has si diligenter insistis, *nullum in sacramento rem totam posse constituere pervidebis*. Quod dicis, te et partes tuas utrumque veraciter confiteri, indissimulabili scriptum esse falsitate, ipsum te, si sacramenti diffinitiones insistas, quas apposui, latere non poterit. Nec verius aliquis patrem submoto filio confitetur, quam rem sacramenti refectionis fidelium negato sacramento, (78) *quod sacramentum attendi oportet auctore Augustino esse visibile, temporale, mutabile aliquid*. Corpus enim Christi, cuius sacramentum esse asseris portiunculam recens factam in altari tibi ipsi contrarius, ————— nulla vecordia *tempori obnoxium mutabileque esse vel pro parte vel pro toto affirmare audebis*.

Ubi ego scripsi: suscepit autem Burgundus negare, panem et vinum in mensa dominica superesse, — hoc minime negat, *immo omnino panem*

et vinum confirmat esse in mensa dominica, membrum, inquis tu, ecclesiae ab ecclesia discrepare non debuit. Confitetur enim ecclesia toto orbe terrarum diffusa, panem et vinum ad sacrandum proproni in altari, sed inter sacrandum incomprehensibiliter et ineffabiliter in substantiam carnis et sanguinis commutari, quod suo loco opitulante eo, de cuius sacratissimo corpore loquimur, diversis diversorum patrum testimoniis ita esse, nec aliter posse esse monstrabitur. Non tamen panem negat, immo confirmat; sed panem, qui de coelo descendit et dat vitam mundo, panem, quem Ambrosius et Augustinus eisdem verbis vocant *epiùsion*, i. e. supersubstantialem, quia caro Christi omnibus creatis substantiis maior existit, omnes creaturas excellentissima dignitate praecellit; vinum quoque non quaecunque, sed quod hominum non quidem omnium, sed servorum Dei corda laetificat, quod animas debriat et a peccatis purgat.

Quod membrum ecclesiae, inquis ego, scribis Humbertum, qui maluit errare cum pluribus, quam verius sentire cum paucis, longe dissentis ab illis, qui maluerunt cum solo domino, qui veritas est, remanere, quam cum LXX non ultra cum domino ambulare, longissime dissentis a *Liberio papa* et quatuor urbium tantum (79) episcopis, qui, corrupto peste Arriana orbe toto, soli inventi sunt catholicae veritatis assertores citra mare episcopi, idonei cum paucis vocari ecclesia, vocari membra Christi. Confitetur, inquis tu, ecclesia toto orbe

diffusa. Non confitentur, inquit ego, sed insaniunt simili tuae vecordiae inepti in ecclesia, quos tu ecclesiae nomine contra autenticas scripturas palliare non dubitas, hominem secundum lineamenta corporis factum ad imaginem Dei, nec sentiendum est cum eis, quamquam infinitissimos ad eorum comparationem, qui circa hoc recte sentiunt, negare nemo possit; unde nunc brevius ago, quia superius de eo satisfeci. Quod panem et vinum proponi ad sacrandum scripsisti, lux in tenebris lucet et non comprehensa est a tenebris. Non enim satis attendisti, *omne, quod sacretur, necessario in melius provehi, minime absumi per corruptionem subiecti.* Quod autem interim prosequeris, Humbertum istum susceptum tuum confirmare, panem post consecrationem in altari superesse, sed panem, qui de coelo descendit, panem, quem dicis ab Ambrosio episcopo et ab Augustino vocari, non satis recta consistis, in quo consideratius agendum tibi fuit et aliis in locis, non satis attendis, quid in Humberto illo tueri susceperis. Humbertus enim ita scripsit: profiteor, panem et vinum, quae ponuntur in altari, post consecrationem non solum sacramenta, sed etiam verum Christi esse corpus et sanguinem. Quae eius dicta creant necessario propositionem, quae ita enuntiat: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt post consecrationem non solum sacramenta, sed etiam verum Christi corpus et sanguis; in quibus verbis nemo saltim opinari poterit, Humbertum sensisse, quod ait: panis et vinum, quae ponuntur in altari, (80)

accipi debere *panem et vinum, quae de coelo descenderunt*. Quae enim in altari ponuntur, necessario et ad altare afferuntur, quae autem et ad altare afferuntur et in altari ponuntur, panis et vinum, propria locutione dicuntur panis et vinum, nec ante consecrationem altaris extiterunt corpus Christi et sanguis, quae, i. e. corpus Christi et sanguinem, constat *panem et vinum, nisi locutione tropica, minime appellari, tantumque est inter propositionem*, quae enuntiat: hic panis est meum corpus, et eam, quae enuntiat: Christus vel corpus Christi est panis, qui de coelo descendit, ut, quod illa subiectum, haec praedicatum, quod illa praedicatum, haec subiectum habeat, nec panis, quem subiectum illa propositio habuit, qui propria locutione dicitur panis, unquam corpus Christi ante consecrationem altaris fuerit, corpus autem Christi nunquam non fuerit, ex quo esse coepit, tropica locutione dico, panis, qui de coelo descendit. Nec consentire erat, qui dicit: panis sensualis consecratus in altari revera post consecrationem superexistens est corpus Christi, dicere: vere panis est in altari, quia corpus Christi, quod est in altari, est panis vivus, qui de coelo descendit, unde superius satisfeci; et si constituas, portiunculam carnis Christi sensualiter in altari esse, pane, qui positus fuerat in altari, per corruptionem subiecti assumpto, constituas necessario cogere, carnem Christi, quantum sit, si Christi caro est, quae caro Christi vere est panis, qui de coelo descendit, nulla frangi, nulla posse ratione atteri. Hoc si constituere de-

trectaveris, facis contra apostolum Paulum, qui dicit: etsi noveramus Christum secundum carnem, sed iam non novimus. Unde beatus Ambrosius in libro de trinitate ad Gratianum: qui hoc audire non potest, (81) lapidat Christum et, si michi vultis credere, vulnerat Christum omni caute asperioribus perfidiae suae saxis. Etsi enim iam Christus vulnus sentire non potest (apostolus enim dicit: etsi noveramus Christum secundum carnem, sed iam non novimus), adhuc tamen Arrianorum impietate lapidatur, qui christianorum pietate litatur.¹⁾ Hoc si omni ratione probamus, i. e., non posse vulnerari carnem Christi, qui resurgens ex mortuis iam non moritur, quod de carne accipiamus necesse est (circa alia enim Christus mortem non sensit), omni necessitate astringimur probare, *non manibus frangi, non dentibus atteri carnem Christi, cui in sepulchro positae datum est, non sentire corruptionem.* Multo magis a morte in impassibilitatem restituta et in immortalitatem nullam fractionem, nullam sectionem, nullam attritionem, nullam admittit, vel pro parte, vel pro toto auctore apostolo Paulo corruptionem. Unde si pugnaciter superbia ductus non ageres, manifestum haberes procul dubio, contra catholicam veritatem scripsisse te, non superesse in mensa dominica panem et vinum, quae ad altare afferuntur et in altari ponun-

¹⁾ Ista dicens beatus Ambrosius revera de verbis apostoli se habere manifestat, corpus Christi non posse vulnerari.

tur, quae non tropica, sed propria locutione dicuntur panis et vinum. Si enim, sicut erras, non sunt in altari, nisi portiuncula sensualiter carnis Christi et sanguinis, quae, i. e. carnem Christi et sanguinem, tropica locutione panem et vinum constet appellari, illa omnino omni sunt obnoxia corruptioni. Porro quae de altari tam probus quam reprobus accipit, manibus franguntur, dentibus atteruntur, ut alia taceam, quae corruptionis esse dissimulare usquequaque non poteris. ¹⁾ Et notanda vecordia tua, qua tanto impetu ageris ad contradicendum veritati, ut te in Padum praecipites, dum me in Minicium, quod opinaris, dederis. Non enim tibi cavisti tantae barathrum praecipitationis, cum dixisti: caro Christi omnibus creatis substantiis maior existit, et sinistra interpretatione tantae beato Ambrosio notam inconsiderationis affigis, ut dicas, eum ex ea causa dixisse carnem Christi, quam insanis absumpto per corruptionem pane in altari esse, dici epiusion, i. e. *supersubstantialem, quia maior sit omnibus substantiis creatis caro Christi*, cum facile sit etiam ineruditis, omnis hominis animam iudicare et creatam esse substantiam, et corpore maiorem; quod etiam testatur beatus Augustinus in libro de vera religione dicens: hominis anima, ubicunque sit, omni corpore melior. Item in libro de immortalitate animae: nemo se bene inspexit, qui non omni corpori qualemlibet animum praepo-

²⁾ *Verba sequentia*: Et notanda ——— Ubi ego scripsi —,
in schedula assuta leguntur. *Ann. edd.*

nendum esse fateatur. — In eodem: nemo tam devius a ratione debet esse, cui non sit certum, corpore animum esse meliorem. Si autem in omni tantummodo homine, qui a peccato immunis esse non potest, maior est anima, quam caro, multo magis in homine Deo, prae hominum filiis forma specioso, a peccato immuni, inter mortuos libero. Et beatus quidem Ambrosius atque Augustinus scripto suo graecum illud, i. e. *epiusion*, indidit, sed absit ab utroque, ut taliter exposuerit, absit ab omni auditore, ut, qualiter exponit *vecordia tua*, approbaverit. Multo est veritati vicinius, cui non datur intelligere melius, ita perpendere, quod caro Christi panis *epiusion* dicitur, i. e. *supersubstantialis*: homo de duabus substantiis constat, anima et corpore, superiori et inferiori. *Superior reficitur Christi corpore ad vitam aeternam pane interiore, pane spirituali, inferior ad temporalem pane sensuali*, qui tamen post consecrationem est corpus Christi et in eo valet etiam ad vitam aeternam fidei. Ita, cum constet homo duabus substantiis, anima et corpore, potest, qui velit, appellare corpus *substantiam*, animam *supersubstantiam*, panem *sensualem*, quo reficitur corpus, *substantialem*, panem *spiritualem*, i. e. Christi corpus, quo reficitur anima, *supersubstantialem*.

Ubi ego scripsi: dum ita (82) enuntiat: panis et vinum, quae in altari ponuntur, post consecrationem sunt solummodo verum Christi corpus et sanguis, — os, quod mentitur, inquis tu, occidit animam; quod si timeres, Dei servo calumniam non

imponeres, quia: solummodo, non apposuit scripto suo. Quicquid ex mendacio, te mendaciter astruente, colligitur, totum dispergitur, infirmatur, quassatur. — Ut saepius, inquit ego, dictum repetam, Humbertum illum Dei servum tibi facit communis illi tecum adversum veritatem et me calumpnia et parva viri minus forsitan experti notitia. Ego enim expertus sum, sicut superius scripsi, illum, qualem nemo experiri poterit, Dei servum, veritatis inimicum in mea, quem nunquam mansuetudine christiana audierat, dampnatione, non satis accuratae dilectionis erga proximum. Quod mendaciter me scribis astruere, de abundantia calumpniae scribis, non de veritate. Humbertus enim in scripto suo ita posuit: panem et vinum, quae in altari ponuntur, solummodo sacramenta esse, et non verum Christi corpus et sanguinem. Hoc ego in enuntiationes, ut manifestius, quod volebam, fieret, duxi, non mendaciter, sed qualiter nulla poteram veritate prohiberi: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt solummodo sacramenta, item: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt solummodo verum Christi corpus et sanguis; in qua enuntiatione non adverbium, quod satis contra artem grammaticam posuisti, sed determinationem, quod est: solummodo, apposui, sicut in enuntiatione priori, quia, cum scriberet Humbertus ita: quae astruere conatur, panem et vinum, quae in altari ponuntur, solummodo sacramenta esse et non verum Christi corpus et sanguinem, liberum michi fecit, (83) ut sic in enuntiationes dicta eius deducerem: panis et

vinum, quae ponuntur in altari, sunt solummodo sacramenta; item: panis et vinum, quae ponuntur in altari, sunt solummodo verum Christi corpus et sanguis. Ne ita fieret, nulla iuncturae verborum suorum ratione Humbertus prohibuit, multo minus suae falsitate vecordiae. Susceperat enim confirmare, *non superesse post consecrationem in altari subiecta sensualia panis et vini*, et tamen ita scribebat: panem et vinum, quae in altari ponuntur, *solummodo esse sacramenta, et non verum Christi corpus et sanguinem*. Scriptum hoc enuntiationes necessario generat istas: panis et vinum, quae ponuntur in altari, post consecrationem sunt solummodo sacramenta, item: panis et vinum, quae ponuntur in altari, post consecrationem sunt verum Christi corpus et sanguis, item: panis et vinum, quae ponuntur in altari, post consecrationem solummodo sunt Christi corpus et sanguis. Item, quiscunque astruit, panem et vinum, ad altare apportata, in altari posita, consecratione sua (quod tamen nulla dici permittebat convenientia, quia impossibile est, quod dicitur aliquid consecrari, ad id accipi, ad quod, si dicatur absumi per corruptionem subiecti) amittere sensualiter proprietatem naturae suae, ac per hoc post consecrationem minime secundum proprietatem naturae in altari superesse, nulla ratione permittitur trium illorum aliquid enuntiare, aut: panis et vinum post consecrationem sunt solummodo sacramenta, aut: panis et vinum post consecrationem sunt verum Christi corpus et sanguis, aut, repetita a superiori-

bus determinatione, quae: solummodo, affigit: panis et vinum post consecrationem sunt solummodo verum Christi corpus et sanguis. Hac ego consideratione, *Humbertum illum sibi in scripto illo contrarium esse, se ipsum subvertere*, demonstrare (84) suscepi, nec me mendatio aliquid egisse convincere potuisti, dum scriptum Humberti in tres illas enuntiationes deduci posse conscripsi, reque vera probaris cito fecisse, non satis recta voluisse consistere, dum dicis: quicquid ex mendacio te mendaciter astruente colligitur, totum dispergitur, infirmatur, quassatur. Nichil ego collegeram, vere Humberti scriptum ita continebat, panem et vinum, quae ponuntur in altari, solummodo sacramenta esse et non verum Christi corpus et sanguinem, vereque hinc tripliciter vel eo ulterius facere enuntiationes cuicumque licebat ita: panis et vinum, quae ponuntur in altari, post consecrationem sunt solummodo sacramenta, vel sine determinatione, quae in: solummodo, attenditur: panis et vinum post consecrationem sunt verum Christi corpus et sanguis, vel addita etiam determinatione, quae: solummodo, praetendit: panis et vinum post consecrationem sunt solummodo verum Christi corpus et sanguis. Ita constat, quod dictum illud divinitus: os, quod mentitur, occidit animam, cavere tibi potius, quam mihi asscribere debuisti. Mendaciter enim tu me de mendacio aliquid collegisse scripsisti.

Ubi ego scripsi per consecrationem altaris fiunt panis et vinum sacramenta religionis, non ut

desinant esse, quae erant, sed ut sint, quae erant, et in aliud commutentur, quod dicit beatus Ambrosius in libro de sacramentis, o mentem, inquis tu, amentem, o hominem impudenter mentientem, o puniendam temeritatem! Ambrosium testem accire praesumis, quod panis et vinum altaris non desinant esse, quod erant, (85) sed commutentur in aliud, quod non erant; et quidem si de sacramentis, vel caeteris, de quibus Ambrosius scripsit, omnes revolvas libros, quos nunc ecclesia in usu habet, tale aliquid ab Ambrosio dictum taliterque expositum reperire non poteris. Quod si dixisset, praeclarissimae famaе suae plurimum detraxisset, sibi ipsi contrarius exstitisset, rem incredibilem credibilem esse constituisset. Quis enim compos sui credat, rem aliquam converti in aliam, nec tamen in ea parte desinere esse, quod erat? — Ad haec ego, sicut dicit beatus Augustinus ad quendam, *si venalia, inquit, invenisti convitia, bona illa meritatione videris accepisse, quae tanta in me profundis facilitate.* Mentem mihi amentem tribuis atque impudentiam mentiendi, plectendae me adiudicas temeritatis. Ego contra convitia tua nichil modicum, sed beatitudinem expecto ab illo, cui datum esse iudicium omne non nescio, qui dicit: beati eritis, cum dixerint homines omne malum adversus vos mentientes propter me. Ego propicio ipso, qui haec dilectoribus spondit suis, qui veritas est, omnibus veritatis amatoribus, qui haec forte legerint, manifestum faciam, non potuisse mentiri spiritum veritatis, ubi dicit: tu es sa-

cerdos secundum ordinem Melchisedhec, quod, videlicet sacerdos esse secundum ordinem Melchisedhec, qui panem et vinum revera optulit, eo momento dubio procul desisteret esse Christus dominus, quo sacrificium altaris panis et vini subiecta ¹⁾ ——— amitteret, vereque illud me constat scripsisse: per consecrationem, quod nullus interpretari potest: per subiecti corruptionem, *fieri (86) panem et vinum in sacrificio ecclesiae sacramenta religionis, non ut desinant esse, quae fuerant, sed ut sint, quae erant* (alioquin consecrari non possent), *et in aliud commutentur*, beatumque Ambrosium minime de amentia, minime de mentiendi impudentia, minime de temeritate plectenda huius rei testem summo iure, nulla iniuria citavisse. Ego, quod dicis, in omnibus, quae scripsit Ambrosius, quae ad manum nunc ecclesia habeat, non posse inveniri, manifestum propicia divinitate facturus sum omnibus fumo contentionis non coecis diligenterque legentibus, in uno illo, qui de sacramentis inscribitur, libro, quem in manu habebas, sufficientissime inveniri. Et primum illud insistendum, quod vere beatus Ambrosius in eo libello sentiat, non deesse secundum sua subiecta mensae dominicae *non panem, qui de coelo descendit, quod dicitur tropice corpus Christi*, quo tu sophisticè contendis elabi (sophisticorum enim illa perversitas, ut non intensa depellant, cum sit contradictio eiusdem de eodem,

¹⁾ *Verbum hic in cod. exstinctum.*

Ann. edd.

sicut et consensio), sed panem, qui de pistrino venit ad comunem aut dominicam mensam, qui propria locutione dicitur panis, non tropica, et non vinum, quod laetificat cor, quod dicitur Christi sanguis similiter locutione ¹⁾ dicitur vinum, quod de torculari ad comunem paratur vel ad dominicum calicem. Quod si beato Ambrosio auctore constiterit, constabit etiam de conversione alius in aliud, ut sit, quod erat, et in aliud commutetur. Non enim sine competenti conversione panis in altari consecratus factus dicitur Christi corpus. Primo ergo deposita superbiae pervicacia attende, quam manifeste panem et vinum beatus Ambrosius (87) secundum proprietatem speciei suae (speciem autem dico *secundum subiecta ipsa panem et vinum, non secundum colorem, vel quae in subiectis eis sunt accidentia*) in altari post consecrationem constituat superesse, ubi ait, praemissa de Naaman, cui contemptui fuerunt aquae Iordanis, similitudine: nunc illud consideremus, ne quis forte *visibilia videns*, quum, quae sunt invisibilia, non possunt humanis oculis comprehendi, dicat forte, parvi scilicet faciens, quae videt, sicut Naaman Iordanis aquas: haec sunt, quae praeparavit dominus unicae ecclesiae suae? Haec dicens beatus Ambrosius negari non potest cum his, qui mensae communicarent dominicae, sermonem habuisse; qui autem mensae dominicae communicant, quid vi-

¹⁾ tropica, sed vinum, quod non tropica locutione

deant, cogimur necessario dicere. In hoc te ipse deicis, nec attendis. Dicis, *portiunculam carnis post consecrationem esse sensualiter in altari, eam esse invisibilem asseris*, quod tibi tamen nulla ratione licebat. Dicebas enim, portiunculam illam carnis Christi panis esse colore adopertam, quod dicens asserere eam invisibilem non poteras, quia, si supervestiat, facies tua colore Aethiopsis, necesse est, faciem tuam videri, si colorem constiterit videri. Non ergo tibi licet dicere, videre accedentes ad communicandum mensae dominicae portiunculam carnis Christi, quam tu sensualiter confingis esse in altari, quia tu eam *invisibilem* asseris. Concedamus tamen, licere tibi, ut dicas, videri sensualiter carnem Christi in altari: sic quoque nullo putandus est modo beatus Ambrosius inducere potuisse fideles, pro parvo habere Christi carnem, sicut contemptui habuit Naaman Iordanis aquas. Relinquitur ergo, quod dicit Ambrosius: *ne quis videns visibilia*, beatus Ambrosius: (88) *videns panem et vinum*, subiecta ipsa dico, non quod in quodam scripti tui loco insanis: quae in subiectis eis sunt accidentia, accipi voluisse. Non enim istud contra rem aut contra Christi esse poterit dignitatem, si fidelis, communicaturus mensae dominicae, super altare videns panem et vinum, quanquam non iam tantum refectionis alimenta, sed etiam religionis sacramenta, ¹⁾ de eis cogitet, quod

¹⁾ ac per hoc Christi corpus et sanguinem, unde beatus Augustinus: *petra Christus in signo, verus Christus in carne et verbo*,

de Iordane cogitavit Naaman, dummodo ita cogitans non contradicat, sed instrui cupiat; unde idem beatus Augustinus, potest, inquit, animo cuiuspiam talis cogitatio oboriri: dominus novimus unde acceperit carnem, de virgine Maria infans lactatus est, crevit, ad iuvenilem aetatem pervenit, a Iudaeis ligno suspensus est, de ligno depositus est, die tertio resurrexit, quo die voluit, ascendit coelum, illuc levavit corpus suum, inde venturus est, iudicare vivos et mortuos, ibi est modo sedens ad dexteram patris; quomodo est ergo panis corpus eius, et calix, vel quod habet calix, quomodo est eius sanguis? Non minus insistendum, quod in eodem primo de sacramentis libro prosequitur beatus Ambrosius, ut omittam, quam continuo ductu de sacramento regenerationis perveniat ad tractandum de sacramento refectionis per omnia comparabili, quia revera, quod concesseris in altero, in altero concessisti: si in regenerandis fidelibus in spirituale per consecrationem, quod non erat aqua, convertitur lavacrum, non ut desinat esse aqua, sed ut supersit aqua et in aliud convertatur, in spirituale lavacrum, quod non erat (unde sacerdos in regenerationis sacramento dicit: ut praeter naturalem emundationem, quam lavandis possunt adhibere corporibus, sint etiam purificandis mentibus efficaces), non habebis, nisi a superbiae, vel invidentiae, vel (89) vecordiae pugnacitate, unde panem in altari post consecrationem conversum in Christi corpus minime secundum proprietatem naturae

suae contendas superesse.¹⁾ Attende ergo, quod indissimulabiliter beatus Ambrosius de proprietate panis et vini minime per consecrationem absumpta sentiat, ubi antiquiora ecclesiae, quam sinagogae, esse confirmat sacramenta. Sinagoga, inquit, a lege Moysis principium sumpsit, Abraham vero longe anterior, cui victis hostibus, cum victoria potiretur, occurrit Melchisedhec et protulit ea, quae Abraham veneratus accepit. Non Abraham, inquit, sed Melchisedech protulit. Panem et vinum protulisse Melchisedhec, panem et vinum Abraham veneratum accepisse, sine indigna tua eruditione vecordia non negabis. Quod ut non neges, vide, quid consequenti tractatu adiungat, dicens: divini igitur muneris est sacramentum, quod accipis, ab eo prolatum, qui benedixit fidei patri Abrahae. Hic nichilominus panem et vinum accipere posteriorem ecclesiae populum, panem, inquam, et vinum, facta, ut ait beatus Augustinus contra Faustum, sacramenta religionis de eo, quod erant alimenta refectionis, pernegare poteris, si prius ab eo, qui be-

¹⁾ Unde beatus Augustinus in libro de unico baptismo: qui contempta veritate praesumit, consuetudinem sequi, aut circa fratres invidus est et malignus, quibus veritas revelatur, aut circa Deum ingratus est, cuius inspiratione ecclesia eius instruitur. Item in eodem: revelatione facta veritatis cedat error veritati, quia et Petrus, qui prius circumcidebat, cessit Paulo veritatem praedicanti. In libro de civitate Dei: ecce, Porphyrius in melius a Platone dissentit; ecce, vidit, quod ille non vidit, nec post talem ac tantum magistrum refugit correctionem, sed praeposuit homini veritatem. Ann. cod.

nedixit patri fidei Abrahae, sensualiter Christi carnem et sanguinem, et non panem et vinum prolata fuisse eviceris. In quo si sophisticè aliquem contendis eludere, sicut velle videris, cum dicis: nos utrumque confitemur, et sacramentum, et carnem Christi, quia non remanentibus, ut verbis tuis agam, pane et vino in pristinis essentiis adest tamen, ut dicis, post consecrationem (90) in altari caro Christi et sanguis, et caro ista de pane per corruptionem panis in altari facta per generationem sui est, ut dicis, sacramentum carnis illius, quae in coelo sedet ad dexteram patris, vide, ne merito dictum accipiatur de te evangelicum illud: si lumen, quod in te est, tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantae erunt? Non enim dissimulat, omnino beatus Ambrosius manifestat, populum christianum ab altari accipere, quod constet Abrahae Melchisedec protulisse; constat autem, panem et vinum Melchisedec protulisse, carnem vero Christi et sanguinem, quae tanto post sibi fabricavit in utero virginis sapientia Dei, sensualiter, cum nondum essent, proferre minime potuisse Melchisedec. Constat igitur, populum Christi ab altari sensualiter panem et vinum accipere, nisi, quod concludit beatus Ambrosius: divini igitur muneris est sacramentum, quod accipis, ab eo prolatum, qui benedixit fidei patri Abrahae, contenderis falsum esse. Simul, cum dicis, carnem, quae nunc primum in altari fit per generationem subiecti, fideles accipere, *portiunculam* nimirum corporis inducis, *non totum corpus Christi*, quia incredibile videtur, te usque eo potuisse desipere, ut totum

Christi corpus nunc posse incipere esse per generationem subiecti putaveris. Si ergo de portioncula carnis Christi ita asseris, non solum te ipsa veritas deicit, quia et indesecabile est Christi corpus, et quantulamcunque particulam carnis nunc primum factam esse per generationem subiecti concesseris, etiam minime de corpore Christi esse concessisti, sed et beati Ambrosii auctoritas, ubi ait in epistola ad Hebraeos: *una est ecclesiae hostia et non multae.* Quomodo una et non multae? Quia semel oblatus est Christus, *sacrificium vero ecclesiae exemplum est sacrificii Christi.* Proinde hoc sacrificium ecclesiae id ipsum, semper id ipsum est. Alioquin quam in multis locis offertur sacrificium ecclesiae, multi Christi sunt. Nequaquam, sed unus ubique est Christus, et hic plenus existens, et illic plenus. Sicut enim, quod ubique offertur, unum corpus est et (91) non multa corpora, ita et unum sacrificium, pontifex autem ille est, qui hostiam nos mundantem obtulit. Ipsam offerimus etiam nunc. Non aliud sacrificium, sed ipsum semper offerimus, immo magis sacrificii recordationem operamur. Reppellit et beatus Augustinus dicens de communicationibus mensae dominicae: *nec, quando manducamus, partes de illo facimus; per partes manducatur in sacramento, et manet integer, totus in coelo manet, integer totus in corde tuo.* Simul cum carnem inducas fieri in altari per generationem subiecti, eamque carnem sacramentum esse carnis, quae sedet ad dexteram patris, vecordissimi erat, carnem,

quae nunc primum esse incipiat per generationem
 subiecti, dicere Christi carnem, quae ante tot annos
 quotacunque est, nichil ultra incremento, nichil
 augmento, sicut nichil morti, nichil prorsus debet
 corruptioni. Non minus in eodem de sacramentis libri
 beatus Ambrosius, superesse post consecrationem
 altari subiecta panis et vini, in Christi corpus con-
 versorum et sanguinem, constituit, ubi ait: vidi
 sacramenta super altare posita et ipsam miratus
 creaturam, creatura tamen solennis et nota. Quod
 dicit: sacramenta vidisti super altare posita, pe-
 vertere non valebis, quin hoc dixerit post con-
 secrationem panis et vini. Communicaturi enim non
 nisi post consecrata ea ad mensam accedunt domi-
 nicam, nullus panem et vinum sacramenta non di-
 nisi post consecrationem, ignorat. Item evincere non
 valebis, videre eos, qui accedunt, oculis corporis por-
 tiunculam carnis et sanguinis, maxime tu, qui confirmas
 quod in altari est. (92) post consecrationem, et
 invisibile, intelligibile, spirituale. Relinquitur ergo
 ut, quod dicit: vidisti sacramenta super altare po-
 sita, sensisse beatum Ambrosium accipias: vidi
 panis vini que subiecta super altare posita. Item
 quod ait: ipsam miratus es creaturam, nulli
 recordi persuadebis, ut beatum Ambrosium dixit
 accipiat: miratus es portiunculas carnis et sangui-
 nis Christi, quas minime videbat auctore te, et
 carnem et sanguinem in altari sensualiter adesse
 constituis et tamen invisibilia. Quod enim dicit
 miratus es creaturam, ad eam significationem ac-
 pere cogaris, ad quam dicas, miratum fuisse Na-

nan, iussisse Elisaeum, ut mergeretur in Iordanem. Ad hoc te cogit coniunctiva particula: tamen, quam consequenter apponit dicens: creatura tamen solennis et nota. Ne videlicet derogasse videretur aliquid creaturae panis et vini, ubi dixerat: ipsam miratus es creaturam, adiecit: creatura tamen solennis et nota. Habes nichilominus in eodem de sacramentis libro: offerimus tibi immaculatam hostiam, incruentam hostiam, *hunc panem sanctum*. In his item verbis a suis alibi dictis beatum dissonantem Ambrosium probare non poteris. Qui enim tibi dixit: ipsam miratus es creaturam, hic posuit: panem hunc, quod interpretari non licet: hanc carnem Christi portiunculam, ipso prohibente beato Ambrosio in epistola ad Hebraeos, unde superius aliqua posui, ubi dicit, non aliud sacrificium offerre ecclesiam, quam sacrificium Christi. Christus utem non sui portiunculam corporis, sed totum corpus in odorem suavitatis (93) optulit, unde Ambrosius in eodem loco dicit: sicut enim, quod ubique offertur, unum corpus est et non multa corpora, ita et unum sacrificium. Quod ergo pronomen apposuit: *hunc*, sicut et apostolus Paulus dicens: hunc panem, ad distinctionem valuit panis non sancti, panis inconsecrati, panis mensae communis, non ad hoc, ut tibi praescriberet, materiam panis esse assumptam per corruptionem subiecti; prohibitam autem per generationem subiecti portiunculam carnis Christi, quam totam ab ecclesia tibi dixerat et ubique offerri, hic apponendum fuit, et quod in eadem ad Hebraeos epistola po-

suit dicens: *in ista carne et sanguine nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat, sed salvatricem vivificatricemque substantiam in pane et vino*, in his verbis indissimulabiliter de carne Christi accipi voluit, quod ait salvatricem vivificatricemque substantiam, et quod consequenter apposuit: in pane et vino, sensualia noluit dissimulare se accipi velle subiecta panem et vinum, non, quod tu desipis, accidentia, quae in subiectis eis fuerint. Si enim sentiret, immo si tecum ineptiret, pro eo accipi debere, quod dicitur esse in altari post consecrationem panem et vinum, quia est ibi portiuncula carnis, quae caro Christi dicatur tropice panis, qui de coelo descendit, et portiunculam sanguinis Christi, qui item sanguis Christi vinum, sed tropice, dicatur, quod laetificat cor, non apponeret consequenter: in pane et vino, quia, si ita sentiret, quod dixit salvatricem vivificatricemque substantiam in pane et vino, tantum esset, quantum si diceret: (94) *salvatricem vivificatricemque substantiam in salvatrice vivificatriceque substantia*. In eodem de sacramentis volumine beatus Ambrosius, videbas, inquit ad accedentem ad sacramenta, quae corporalia sunt, corporalibus oculis, sed quae sacramentorum sunt, cordis oculis videre non poteras. Confinde, quod volueris; quod verum est, subvertere non valebis. Praemiserat beatus Ambrosius: habes venire ad altare, videre habes, quae ante non videbas; et ne perverteres, quasi iam non esset visurus in altari panis subiecta sensualia et vini, videbas, inquit

beatus Ambrosius in consequentibus, quae corporalia sunt, corporalibus oculis, sed quae sacramentorum sunt, cordis oculis videre non poterat. Tanquam diceret: quod dixi: videre habes, quae non videbas, noli pervertere, ut opineris dixisse me, non superesse post consecrationem, quae prius videras, panis vinique subiecta; quod enim dixi: videre habes, quae ante non videbas, ad oculos cordis te misi, ad oculos fidei. Quae enim corporalia erant, videbas corporalibus oculis, id est res, quas consecratio altaris non absumit, sed esse sacramenta constituit, i. e. subiecta panis sensualia et vini, sed quae sacramentorum sunt, cordis oculis nisi illuminatus videre non poterat. Constat auctore Ambrosio, aliud super altare corporis, aliud videri oculis cordis; nec habebis, quid super altare contuearis corporalibus oculis, maxime tu, qui, quod super altare esse confingis post consecrationem, invisibile esse constituis, nisi subiecta panem et vinum sensualia. Necesse autem habes auctore Ambrosio, non negare, aliud sacramentorum esse, aliud sacramenta. Quid sacramenta accipi velit beatus (95) Ambrosius, non tacet in eo ipso de sacramentis libro, ubi, cum dixisset: probare volumus, antiquiora esse sacramenta ecclesiae, quam sinagogae; Abraham, inquit consequenter, longe anterior sinagoga fuit; Abrahae Melchisedhec ea obtulit, quae Abraham veneratus accepit; ubi necesse est, Melchisedech panem Abrahae et vinum optulisse accipias, et ea ipsa beatum Ambrosium velle accipi altaris ecclesiae sacramenta.

Et ne confingas secundum cor tuum tibi, aliud hic accipi sacramenta, audi, quid in sequentibus dicat: non Abraham, sed Melchisedhec panem et vinum habuit, ergo Melchisedhec auctor sacramentorum fuit. Quae sacramentorum sint, demonstrat beatus Ambrosius, ubi dicit: ante consecrationem alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur, et qui panis est, est corpus Christi; et illud: ut ergo tibi respondeam: panis altaris ante consecrationem non erat corpus Christi, post consecrationem dico tibi, quia iam est corpus Christi; et illud indissimulabiliter in epistola ad Hebraeos, ubi agens de sacramentis altaris ita concludit: sed salvatricem vivificatricemque substantiam in pane et vino. Non minus beatus Augustinus contra Faustum se demonstrat panem et vinum velle accipi sacramenta, panis, inquit, et calix non quilibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis, non nascitur.¹⁾ Proinde, qui non ita fit, etsi est alimentum refectionis, non est sacramentum religionis. Quae autem sacramentorum esse intendat, non

¹⁾ Insistendum in verbis beati Augustini, quae ita ponit: fit nobis, non nascitur, quam manifeste sentiat contra Lanfranni vecordiam. Lanfrannus scribit, carnem recens factam in altari sacramentum esse corporis, quod in coelo est, Christi, carnem in altari factum dicit appellari panem, qui d. d. c., et recte istud, sed tropice. Augustinus scribit, panem, qui non tropice, sed proprie dicatur panis, non nasci, sed certa consecratione nobis mysticum fieri atque sacramentum, sed corpus Christi nulla consecratione *fit*, sed revera *natum est* nobis panis, qui de coelo d.

tacet Augustinus, ubi dicit in libro ad neophytos: hoc accipe in pane, quod pependit in cruce, hoc bibe in calice, quod manavit e latere, et illud: quod videtis in altari, panis est et calix, quod etiam oculi vestri vobis renunciant, quod autem fides postulat instruenda, (96) panis est corpus Christi, vinumque sanguis; et illud: in eis rebus commendavit dominus corpus suum et sanguinem, quae ad unum rediguntur ex multis. Concludit beatus Ambrosius, quod dixerat: quae autem sacramentorum sunt, videre oculis cordis non poterat, ita: qui coecato corde videbaris, coepisti lumen sacramentorum videre. Non minus in alio de sacramentis sermone indissimulabiliter manifestans, habenda esse sacramenta altaris ecclesiae non, quod tu de corde tuo confingis, portiunculam carnis, portiunculam sanguinis, quae dicuntur, inquis nec attendis dici, tropica locutione vinum et panis, quae Abrahae sensualiter nulla potuit ratione offerre Melchisedec, quia nondum ea sibi fabricaverat, nec per mille post annos sibi fabricavit in utero virginis omnipotens artifex, sed panem et vinum, quae propria locutione constet dici panem et vinum, qualia Abrahae optulit antiquior levitico sacerdotio sacerdos ille Melchisedhec, panem, inquit, et vinum Abrahae optulit Melchisedhec, et iterato non tropica, sed propria nomina repetens, quis habuit, inquit, panem et vinum? Non Abraham. Sed quis panem et vinum habuit? Melchisedhec panem et vinum habuit. Propicia divinitate, etsi tuum pervertis, non pervertes corda veritatis aman-

tia, quo minus insistant, nichilomagis habuisse portiunculam carnis Christi, portiunculam sanguinis, quam nondum, sicut dixi, sibi fabricaverat in utero virginis sapientia Dei, Melchisedhec, quam Abraham, ac per hoc etiam vecordi constare debet, panem et vinum secundum sensualem proprietatem, non secundum tropicam similitudinem Melchisedhec optulisse, (97) panem et vinum sensualiter Abraham, auctore Ambrosio, veneratum accepisse. Quod si concedere te dicis, cum tamen adhuc pugnaciter in sacrificio ecclesiae secundum tuae figmentum falsitatis carnem carnis, sanguinem sanguinis sacramenta esse contendis, depellit hoc beatus Ambrosius, ipse, inquit, Melchisedhec sacramentorum auctor exstitit, et ne aliqua, quod dixit sacramentorum auctorem Melchisedech, pergeres depravare, quominus auctor habendus videretur Melchisedhec sacramentorum altaris, minus panem et vinum in sacrificio ecclesiae esse sensualiter, oportere intelligi, intellige, inquit in sequentibus, sacramenta, et apponit pronomen: haec, quae accipis antiquiora esse, quam sacramenta sinagogae. Unde, si constaret, minime in altari superesse post consecrationem subiectum panis et vini, sed quae in subiecto pane et vino erant, secundum vecordiam tuam, si constaret, accipere ab altari fideles solam carnis Christi portiunculam sensualem et sanguinem, quae tamen secundum figmentum tuum tropica locutione panem et vinum diceres appellari, constaret etiam, nulla ratione beatum Ambrosium dicere potuisse, huiusmodi sacramenta anteriora

fuisse sacramentis sinagogae, nulla haec ratione Melchisedech tanto, antequam existerent, Abrahae sensualiter potuisse offerre, nulla horum, quae, quantum ad vecordiam tuam, fideles in sacrificio ecclesiae accipiunt, sacramentorum auctorem extitisse Melchisedech, quia non aliorum sacramentorum, quam eorum, quae Abraham veneratus acceperit, constituit beatus Ambrosius auctorem fuisse Melchisedech, nec alia sacramenta (98) accipere fideles a sacerdote, quam quae Abrahae optulit Melchisedech, quam quae constet antiquiora sacramentis esse sinagogae. Unde ita concludit auctor scripturae: panem ergo et vinum obtulit Melchisedech; et in sequentibus, ad huius rei discussionem auditorem suum exsuscitans, tu forte, inquit, dices: meus panis est usitatus; ubi, quia de communicantibus agitur mensae dominicae (non autem communicatur, nisi post consecrationem panis et vini mensae dominicae) notandum est, quod dicit: meus panis est usitatus, accipi debere de consecrato iam pane, qui panis dicatur non tropica, sed propria locutione, quia nil inusitatus in genere humano tam pro parte, quam pro toto, Christi corpore, cuius particulam esse confingis in altari: notandum etiam, non correxisse beatum Ambrosium, quod obiector dixerat: meus panis, ut diceret: quod dicit: meus panis, non: meus panis, sed: meus, qui videtur, quanquam minime sit panis, dici oportuit; non refellendo enim hanc obiectionis partem, concessit. Sed esto. Pugnaciter ages, quod dicitur: meus panis, antequam ad altare apportetur, ante-

quam consecratur, dici non inconvenienter potuisse; qualiter pervertas, quod post obiectionem consequenter apponit beatus Ambrosius, quo minus de consecrato iam pane accipere quis convincatur, non habebis. Astruamus, inquit, quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi; quod minime diceret, si tecum insaniret, putans esse in sacrificio portiunculam carnis Christi sensualem, affirmans tamen, esse etiam in eodem sacrificio panem, quia portiuncula ipsa carnis Christi dicatur tropice panis, quia tantum esset, quod dicit: quomodo potest, qui panis est, corpus esse Christi, quantum si diceret: *quomodo potest, qui corpus Christi est, corpus esse Christi*. Nec ait, quomodo desinat esse sensualiter, qui fuerat panis, ut incipiat esse corpus Christi, sed ait: qui panis est, quod necessario cogis de consecrato iam pane accipere, quia inconsecratus panis non potest dici vel esse corpus Christi; et nimiae vecordiae est, (99) de eo, qui dicit: *qui panis est*, opinari, quod putaverit, non esse panem, de quo: qui panis est, dicere minime dubitaverit. Nimis longum facio, sed tolerabit lectoris modestia, quia contra falsitatem scripti tui non facile aliter satisfacerem, nisi ex mora et lima beatum Ambrosium confirmarem non sensisse, quod eum sensisse falsissime contendit scriptum tuum, non remanere, ut agam tuis solius verbis (nullius enim scripturae, nullius constat esse ea rationis), in sacrificio ecclesiae panem et vinum in pristinis essentiis. In quo superbissime inclamasti: o mentem amentem, o hominem impudentem mentien-

tem, o puniendam temeritatem, quod testificari beatum Ambrosium scribere praesumpsissem, *non deesse Christi sacrificio panis subiecta et vini, nec absumi per corruptionem panis vinique subiecta per consecrationem altaris, sed in aliud, quam haberent, privilegium assumi, i. e. non desinere esse, quae erant, sed incipere esse, quod non erant*, in eo, quod scripsisset in libro de sacramentis: si est tanta vis in sermone domini Iesu, ut inciperent esse, quae non erant, multo magis operatorius est, ut sint, quae erant, et in aliud commutentur. Confirmasti etiam cum multo praeiudicio, non inveniri, quod dicerem, in omnibus, quae scripsisset Ambrosius, ita scriptum, ita expositum. In qua praefixione nimium superba, nimium praecipiti manifestum facis, te minus attendisse adortationem illam spiritus sancti dicentis: qui legit, intelligat, cum scribas, non posse inveniri in omnibus, quae Ambrosius scripserit, quod in primo libri de sacramentis sermone demonstrat se sensisse indissimulabiliter, (100) se dixisse. Post multorum enim inductionem, quae ad comparandum sibi prosecutus fuerat auditoris assensum, cum commemorasset, misisse in aquam lignum iubente Helisaeo eum, qui amiserat ferrum, et ita ferrum supernatavisse, si tantum, inquit, valuit humana benedictio, ut naturam converteret. Quod si constat eum dixisse, conversam fuisse in lignum, quantum ad levitatem, naturam ferri, quia supernatavit aquis, unde praemiserat: gravior est enim ferri species, quam aquarum liquor, constat, eum revera de conversione

eorum, *quae ita convertuntur, ut sint, quae erant, et in aliud commutentur*, minime dissimulavisse. Simul, quod scribis: ita dictum, ita expositum, multum erat contra eruditionem tuam; novit enim vel modicum eruditus, non referre, si diversis verbis proponatur aliquid, dum non diversa sententia, nec minus constare, quod dicat aliquis, etiam si non ipse exponat. Cur enim non quivis altero dicto alterum, quod minime verbis enuntiatum sit, nichilominus in sententia constare constituat? Quid enim minus dixit, qui dixit: non potest homo salvare animam suam, quam qui dixit: non est hominis, dirigere viam suam? Cui minus constare debet in eo, quod dicit dominus: ego et pater unum sumus, de unitate patris et filii, quam si dictum ipse exposuisset suum? Cui minus constet de infelicitate servi illius, qui, cum venerit dominus, dormiens invenietur, quia solum illud evangelista posuit: beatus ille servus, quem, cum venerit dominus, invenerit vigilantem? Haec ego attendens dicere minime dubitavi, eum, qui diceret: operatorius est, (101) ut sint, quae erant, et in aliud commutentur, revera dicere, quantum ad sententiam, quod verbis meis ego dicerem: *non ut desinant esse, quae erant, et in aliud commutentur*. Hoc, ut repetito dicam, in omnibus, quae scripsisset Ambrosius, inveniri posse magnopere pernegasti. Contra hoc satis me facturum putavi, si ostenderem, etiam in hoc ipso de sacramentis libro beatum Ambrosium sententiam manifestasse suam, quod minime absumantur in sacrificio eccle-

siae panis atque vini subiecta, quia, si constet, ita libri sensisse auctorem, revera constare debet de genere conversionis illius, secundum quam non desinunt, quae convertuntur, esse, quae erant, sed ita convertuntur, *ut sint, quae erant, et in aliud commutentur*. Dum enim confirmat libri auctor, per consecrationem panem et vinum fieri Christi corpus et sanguinem, nichilo tamen minus panem sensualiter et vinum accipere fidelem quemque de mensa dominica, sine conversione fieri tale aliquid posse, minime cogitat satisque de conversione, secundum quam non desinunt ea, quae convertuntur, esse, quae erant, sed sunt, quae erant, et in aliud convertuntur, suam manifestat sententiam. Si de hoc, inquis, conversionis genere beatus Ambrosius sensisset, praeclarae famae suae plurimum detraxisset. Ego eum ita sensisse indissimulabiliter demonstravi, qui et fideles panem et vinum secundum subiecta sua sensualia accipere contestetur de mensa dominica, et ea ipsa nihilominus Christi facta esse per consecrationem altaris corpus et sanguinem, quia sacramenta. Ubi autem hoc contestetur Ambrosius, ei, qui ex mora et lima (102) agere non gravabitur, in libro de sacramentis satis me fecisse propicia divinitate constabit. Quod autem, cum dixisses: plurimum famae suae detraxisset —, supponis dicens: rem incredibilem esse constituisset, facis omnino stultissime contra te, cuius scripti in eo sententia persistit, ut etiam non intellectis, etiam incredibilibus non negetur assensus; quod si veritas ipsa indiscrete haberet, facilius Ambrosio, quam

tibi concedi oporteret. Et quod apponis: quis enim compos sui credat, rem aliquam converti in aliam, nec tamen in ea parte desistere esse, quod erat, quantum contra te faciat hoc, quam vere illud, quod scriptura dicit: qui sophisticè agit, odibilis est, de te accipi facias, nullatenus, si des operam, potest latere vigilantiam tuam. Ut enim ego tibi e contrario dicam, quis sui compos aliquam putet habere inconvenientiam, quod dicit creator ad rationabilem creaturam suam: convertimini ad me, et ad vos ego convertar, quasi in eo, quod dicitur: convertar, non debeat intelligi, non ut desinat esse Deus, qui erat, sed ut sit Deus, qui erat, et in aliud, i. e. in placatum ab irato commutetur, quod non erat? Quis compos mentis incredibile cogitet, quod dicit Deus: nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur, quasi id, quod dicit: convertatur non possit accipi, non ut desinat esse, qui erat, sed ut sit homo ad imaginem Dei factus, qui erat, quantum ad speciei suae naturam, et in aliud, i. e. in iustum commutetur a peccatore, quod non erat? Et quod dicitur apostolus Paulus vas electionis factus de vase abiectiois, non debere accipi, conversum esse Saulum in Paulum, non ut desisteret esse, qui erat, sed ut esset, qui erat ex anima rationali et carne homo, et inciperet esse, (103) quod non erat, vas in gloriam, conversus de vase in contumeliam in vas in gloriam? Si non esset, qui erat, qua ratione diceret: vivo ego, si non esset commutatus in aliud, qua ratione diceret: iam non ego, vivit autem in me Christus? Quam magni-

fica, quam credibilis ei, qui compos sit sui, conversio, ut esset Saulus, qui erat, ex anima rationali et carne homo, et esse inciperet non hoc aut illud, sed Christus, quod non erat! Hic si consistis, non me de similibus, quod conveniret, agere, *quod alia videatur conversio panis in carnem, vini in sanguinem*, quam irati in placatum, peccatoris in iustum, Sauli in Paulum, respondeo, revera aliam quadantenus mutationem panis in carnem, vini in sanguinem esse, et tamen me per similia agere, quia, etsi in conversione ista duo quaedam subiecta sint, panis et corpus, quorum alterum convertatur in alterum, in illa alia unum quiddam ab alia in aliam affectionem faciat transitum, *tamen in eo similia convincuntur, quod utraque manet, quod erat, et mutatur in aliud, quod non erat; nec in illa, nec in ista res agitur secundum subiecti corruptionem, secundum subiecti generationem.* Ceterum mutationi in placatum irati similis erat mutatio panis in corpus Christi, quia inefficax erat panis natura ante consecrationem ad vitam aeternam, post consecrationem efficax, quia, sicut ad aeternitatem amissam in Adam nemo proficeret, nisi verbum caro fieret, ita nemo christianus ad immortalitatem redit, si per contemptum profanat sacramenta altaris, *et quod dicitur panis altaris corpus Christi, eo locutionis dicitur genere, quo dicitur: Christus est summus angularis lapis.* Quod autem scripsisti: (104) quis credat, rem aliquam converti in aliam, nec tamen in ea parte desinere esse, quod

erat, sophisticè agere et in eo conviuceri odio dignus esse. Non enim ego intenderam, aliquid, dum convertitur in aliud, *nulla ex parte*, quod erat, esse desistere, vel rem omnem, dum in aliam convertitur, *omni ex parte*, quod fuerat, esse persistere; nec satis decebat eruditionem tuam, nisi a me intensa depellere. Sed nec in libro beati Ambrosii habebas per singularem numerum: operatorius est, ut sint, *quod* erant, quod facilius erat utcunque pervertere, sed: operatorius est, ut sint, *quae* erant, et in aliud convertantur. In eo enim, quod aversus erat dominus, ab aversione desistit, dum fit cuicunque placatus, et quando iustitiam insistit, peccator esse desistit aliquis, et qui conversus est in vas electionis, vas esse abiectiois destitit, sed nulla in his secundum subiectum corruptio, nulla secundum subiectum generatio. Quod, i. e. corruptionem subiecti, attribuere ei, cui constitutiva sua constant omnia, quod tu de pane et vino contra rationem, contra auctoritatem, unde satis egi, confingis, nisi vecordissimus, nemo poterit; generationem autem secundum subiectum corpori Christi vel pro parte, vel pro toto attribuere nec insanus audere debuisti. Si expectas aliqua duo, de quorum alterius in alterum conversione, ut sint, quae erant, et in aliud commutentur, non dissimulare necesse habeas: conversi sunt, inquit spiritus Dei de hominibus prioris populi, in arcum pravam, et alibi: convertetur Libanus in Chermel; qui convertit petram in stagna aquarum et rupim in fontes aquarum; (105) et in evangelio: ut con-

vertat corda patrum in filios, ubi nichilominus dici potuit: convertat patres in filios, vel: convertat corda patrum in corda filiorum. In conversionibus istis dissimulare non debes, ea, quae conversa dicuntur, ut verbis tuis agam, in pristinis, dum convertuntur, remansisse essentiis, nichilque in hac conversione secundum subiecti corruptionem, vel secundum subiecti generationem actum esse. De beato Ambrosio agens, avertat procul, inquis tu, veritas ipsa, quae Deus est, ut testis veritatis contra veritatem testis existat! Amen, amen, inquit ego, procul Deus avertat, quae in Christo aedificavit Ambrosius, ut idem ipse destruat! Absit, ut, qui praefixit, de altari accipere fideles, quod Abrahae optulit Melchisedhec, idem ipse confingat, panem et vinum, quae in altari consecrantur, perinde, quasi consecrari uspiam sit accipiendum pro eo, quod est destrui, per consecrationem altaris secundum subiecti corruptionem absumpta deperire, quo firmato falsum sit, de altari accipere fideles, quod Abrahae optulit Melchisedhec, *sacramentorum altaris auctorem fuisse*, quod tantopere constituerat Ambrosius, *Melchisedhec*; absit, ut, qui testis est veritatis in eo, ut confirmet in epistola ad Hebraeos, totum integrumque Christi corpus accipi, dicens: sicut enim, quod ubique offertur, unum corpus est et non multa corpora (ita autem sentiendum esse praefixerat dominus dicens: hoc, i. e. haec res, hic panis est meum corpus; meum, inquit, ne admittes: alterius, et ne putares, panem illum factum esse per ipsius consecrationem partem sui corporis,

non totum corpus suum, quod tamen a nulla veritate accepisti, quia non constat, Deum quicquam (106) nunc secundum subiecti generationem facere, nisi quod constet prius minime exstisse; *quod, inquit, pro vobis tradetur*, ut, sicut totum ad mortem corpus Christi non ignoras traditum, ita habeas totum integrumque Christi corpus accipi, quod fieri ore corporis cum sit impossibile, quia usque in tempora restitutionis omnium Christi corpus scriptura coelum constituit suscepisse, humana est nichilominus indignum ratione, divina indignissimum maiestate, ac per hoc Christi corpus totum constat accipi *ab interiori homine, fidelium corde, non ore*; unde beatus Ieronimus in Ysaia: pascha nostrum immolatus est Christus, qui non foris, sed in domo una, in unitate ecclesiae et intus, i. e. in corde manducatur; qualiter commendet, insiste, quod de agno patres de Egipto exituri iussi sunt, ut unaquaeque domus agnum immolaret, agnum non sub vite, non sub ficulnea, sed intus manducaret. Agnus enim ille typus Christi fuit, qui non per partes, excepto, quod ad sacramentum pertinet, sed totus et integer manducatur, nec dente, sed *corde*; unde etiam beatus Augustinus: per partes manducatur in sacramento, sed manet integer totus in coelo, manet integer totus in corde tuo; et illud: qui manducat intus, non foris, qui manducat corde, non qui premit dente; et beatus Gregorius in Iob, ita credentes, inquit, desiderant, esurientem mentem suam per quotidianum immolationis sacrificium de Christi carnibus satiari), — absit, in-

quam, ut, qui, qualiter praemissum est, veritatem asserit, contra veritatem secundum figmentum cordis sui sentiat, accipere fideles ab altari portiunculam carnis sensualem, portiunculam sanguinis, quam tu accipere fideles cum persuadere contendis, exponere habes necessario, cuius ea sint. Christi enim (107) ea esse non valebis convincere, cum constet, Christum corpus unum, minime plura habere, illudque, sicut necessario insecabile, quia incorruptibile, ita usque in tempora restitutionis omnium coelo indevocabile permanere.

Accipe, inquis tu, potius, quid in libro de misteriis dicat. Volens enim discrepantiam ostendere inter manna Iudaeorum et sacrificium christianorum, quia illud umbra et figura, hoc lux et veritas, illud e coelo, hoc corpus domini coelorum, ne tantam elementorum in tantas res conversionem credere mens humana refugeret, subiungit: quantis uimur exemplis, hoc non esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, maioremque vim esse benedictionis, quam naturae, quia benedictione etiam natura ipsa mutatur! Panem et vinum a natura formari, nullus qui ambigat, de horum vera in verum Christi corpus conversione et sanguinem non oportere dubitari, manifestis ostendit exemplis, congruis per similia asserit argumentis, narrans, Moysi virgam in serpentem versam, serpentem in virgam, aquas in sanguinem, sanguinem versum in aquas, pluraque in hunc modum. Accipere me, inquit ego, ortaris, quid beatus Ambrosius dicat in libro de misteriis. Quod

utinam digne eruditione tua satis te ipsum, cum corporis oculos in librum illum intenderes, adoratus fuisses! Ego, propitia divinitate de perspicuitate veritatis accepi, beatum Ambrosium indifferenter sacramenta appellare in libro illo aquam regenerationis, panem atque vinum refectionis, quae fideles accipiunt ab altari. De his auctorem illum comparabiliter tractare, non de corde meo, sed de evidentia veritatis adverti; hoc ut manifestum (108) habeat, qui huic scripto ex mora et lima oculos non dedignabitur inclinare, coactus sum longius facere, plurimaeque de libro ante oculos ponere. Quid vidisti? inquit beatus Ambrosius in primo de sacramentis. Aquas utique, sed non solas. Dissimulari non potest, de consecratis eum aquis dixisse: vidisti aquas. Unde beatus Augustinus, accedit, inquit, verbum ad elementum aquae, et fit sacramentum et ipsum visibile verbum. Ita per verbum consecrationis convertitur aqua, ut sit, quod erat, aqua, (unde hic dicit b. Ambrosius: vidisti aquas) et in aliud commutetur, in spirituale, inquit b. Ambrosius, lavacrum, quod non erat, vel in mortem Christi, unde idem ipse dicit: baptismus ecclesiae est mors Christi, non in mortis corporalis veritate, sed in similitudine. Ita sentiendum esse auctoritate apostolica praescribens, non ea, inquit, consequenter te docet apostolus contemplanda, quae videntur, sed quae non videntur. Habes auctorem Ambrosium in regeneratione fidelium, quid oculis corporis videas, quid oculo cordis, i. e. cogitatione aspicias, et ita conversam in spirituale lavacrum

aquam, ut sit aqua, quae erat. In sequentibus, quid aliud, inquit b. Ambrosius, in hoc quotidie sacramento docemur? Ubi dissimulari non potest, aquam regenerationis sacramentum appellari. In sequentibus: aqua enim sine praedicatione crucis ad nullius usum futurae salutis est; cum fuerit crucis misterio consecrata, ad spirituale lavacrum, ad *spirituale poculum* temperatur. Habes auctore Ambrosio, quod iam praemisi: aquam baptismi non destitisse per consecrationem, quod erat, aqua, sed esse aquam, quod erat, et in aliud commutatam, ad quod ita persuadendum consequenter apponit: non ergo solis corporis tui credas oculis; magis videtur, (109) quod non videtur, istud temporale, illud aeternum. Habes et hic, quod sacramentum est in regeneratione, videri oculis corporis, quod sacramenti est, oculis cordis; et ne parvi habeatur elementum aquae in regeneratione, iam sanatus, ait, dubitare non debes; ad hoc praedictum tibi erat, ut non solum hoc crederes, quod videbas, ne et tu non credendo diceres, sicut Naaman: hoc illud magnum est, quod oculis non vidit; aquas video, quas videbam quotidie. Si non esset post consecrationem aqua, quae fuerat ante consecrationem, non satis vere baptizandus hoc diceret: aquas video, quas videbam quotidie, sed vere post consecrationem aqua, vere ante consecrationem, sicut non minus aqua fluvius Iordanis, in quo aliud, quam aquam, attendere Naaman nesciebat, quam fluvii Damasci erant, Abana et Farfar. In sequentibus: aqua sine cruce elementum commune est

sine sacramenti effectu, nec tamen sine aqua regenerationis constat misterium. Dicens Ambrosius: sine aqua non constat regenerationis misterium, dici concessit: sine pane et vino non constat refectionis misterium; qui dicit: non est regeneratio sine aqua, non tacuit, esse aquam, quae fuerat, licet in lavacrum spirituale vel in verbum visibile, quod dicit Augustinus, conversam. In secundo de sacramentis cum praemisisset beatus Ambrosius: vidisti fontem, potuit in animum incidere, quod cecidit in Naaman, qui, priusquam mundaretur, dubitavit, cum praemisisset: vidisti aquam, et forte aliquis dixerit: hoc est totum, vere, inquit, totum, ubi tota sanctificatio, sed tu, inquit, vidisti, quae videre potuisti oculis tui corporis, non vidisti, quae operantur et non videntur; et paulo inferius, cum dixisset, (110) dubitasse Naaman et dixisse: hoc est totum? veni de Syria, dicitur mihi: mergere in Iordanem et sanaberis, et tamen mersum in Iordanem sanum surrexisse, quid significavit, inquit, et respondet: vidisti aquam, sed aliud est elementum, aliud consecratio, aliud opus, aliud operator; non sanat aqua, nisi eam spiritus sanctus consecraverit. Nichil manifestius, auctore beato Ambrosio, quam non esse idem, consecrari et secundum subiecti corruptionem absumi. Dicit enim: aqua sanat, quam spiritus sanctus consecraverit; ubi manifestum habes, spiritum sanctum operatorium esse, ut sit aqua, quae erat, et sanet mutata per consecrationem ipsius in spirituale lavacrum, quod non erat. Alibi, divi-

niora, inquit, et priora sunt sacramenta christianorum, et de regeneratione demonstrans, se sacramenta dixisse, ut interim, inquit, de baptismo loquamur, quid tam praecipuum, quam per mare transitus Iudaeorum? Alibi, et tu, inquit, illecebris peccatorum mortuus sis per baptismatis sacramentum et resurrectionis. Alibi: deposuisti peccatorum senectutem, sumpsisti gratiae iuventutem, haec praestiterunt tibi sacramenta coelestia. Quod autem etiam baptismi sacramentum antiquius sit sacramentis Iudaeorum, in diluvio, inquit beatus Ambrosius, iam tunc baptismatis figura fuit, et adhuc utique non erant misteria Iudaeorum. Quod etiam baptismi sacramentum sermone domini Iesu instituatur, non tacet beatus Ambrosius, dicens: dominus ad apostolos dicit: baptizate omnes gentes in nomine patris et filii et spiritus sancti; sermo hic salvatoris est, inquit, et paulo inferius: utitur sacerdos verbis coelestibus. Quae sunt verba coelestia? Quod baptizamus, inquit, in nomine (111) patris et filii et spiritus sancti. Nimis longum facio, ut vel sic, qui haec forte legerit, compellatur advertere, beatum Ambrosium de eis non dissimiliter sensisse, de quibus in tot sermonibus suis et eodem nomine in eadem egerit tractatus persecutione. Duo sunt enim praecipue ecclesiae sacramenta sibi assentanea, sibi comparabilia, regenerationis fidelium et refectionis, quanquam regenerationis sacramentum ulterius nonnichil habeat, quam refectionis, quia sine regenerationis sacramento nullus, exceptis his, qui ad subitam nominis Christi confessionem subito sunt

obtruncati, sine refectionis innumerabiles intrant in regnum Dei. Ubi ergo de regeneratione fidelium beatus Ambrosius, quae voluit, praemisit, ita de his, quae pertinent ad refectionem, insistit: his abluta plebs, dives insignibus, coeleste festinat adire convivium, et addit: nunc illud consideremus, ne quis forte, visibilia videns, quantum, quae sunt invisibilia, non videntur nec possunt humanis oculis comprehendi, dicat: Iudæis Deus manna pluit, haec autem sunt, quae praeparavit ecclesiae dilectae suae? Item: venisti ad altare, vidisti sacramenta super altare posita, et ipsam miratus es creaturam. Item: probatum est, antiquiora esse ecclesiae sacramenta. Alibi: sacramentum, quod accipis; alibi: vere carnis illius sacramentum est; alibi: ortatur ecclesia, ut ad sacramenta concurrant; alibi, considera, inquit, ubi accipias sacramenta coelestia. Alibi: venire habes ad altare, videre habes, quae ante non videbas, et consequenter apponit: considera et tu oculis tui cordis; videbas, quae corporalia sunt, corporalibus oculis, quae sacramentorum sunt, cordis oculis videre non poteris. In sequentibus: venisti ad (112) altare, coepisti videre, quae non videras; qui in corde coecatus ante fueras, coepisti videre lumen sacramentorum. Dissimulare nemo poterit, in libro illo, ad quem me adortatus es, de misteriis, inretractabiliter beatum Ambrosium aquam, qua fideles regenerantur, sacramentum appellare, Iudaeorum sacramentis antiquis confirmare, verbis coelestibus vel ipsius verbis domini consecrari, ab eo, qui

baptizandus accedit ad exemplum Syri illius Naaman, haberi posse contemptui, sed minime oportere, quia aliud videns oculis corporis aliud attendere debeat oculis cordis, aquam dicere elementum commune, postquam eam consecraverit spiritus sanctus, iam mortis Christi et sepulturae *sacramentum*, i. e. *similitudinem* existere. Non minus non dissimiliter panem et vinum, quae in altari consecrantur, post consecrationem beatus Ambrosius sacramenta appellat, haec sacramentis Iudaeorum antiquiora confirmat, haec Ahrahae optulisse Melchisedhec, horum auctorem Melchisedech extitisse non dissimulat. De his ita indifferenter tractat, ut, sicut de regeneratione tractans dixerat: vidisti, quae videre potuisti oculis tui corporis et humanis conspectibus, non vidisti ea, quae operantur et non videntur, ita eisdem verbis de sacramentis refectio- nis agens, venire, inquit, habes ad altare, videre habes, quae ante non videbas, et consequenter: considera et tu oculis cordis tui; videbas, quae corporalia sunt, corporalibus oculis, sed quae sacramentorum sunt, cordis oculis videre non poteras; haec dicit ipsius verbis domini consecrari, haec tamen haberi forsitan posse contemptui ad exemplum Naaman Syri, qui iussus in Iordanem descendere primo contempsit; in his, postquam consecrata sunt, sicut in baptismo aliud oculis corporis, aliud (113) videri oculis cordis; haec, antequam consecrentur, alias species beatus Ambrosius nominat, postquam consecratae sunt, ab his *corpus Christi et sanguinem significari demonstrat.*

Haec si ita prosecutus est in libro illo tantae eruditionis, tantae vir auctoritatis, constat omni dubio procul, quod nunquam secundum figmentum senserit cordis tui, non remanere, ut verbis tuis utar, panem et vinum altaris in pristinis essentiis, sed de eis per subiecti corruptionem absumptis Deum facere portiunculam carnis, portiunculam sanguinis Christi sui secundum generationem subiecti, quia Christi caro et sanguis, per mille iam annos impassibilia, ita nunc generari, i. e. ita nunc incipere esse ignorant, ut, quae nunc Deus secundum subiecti generationem forte fecerit carnem aut sanguinem, nulla ratione ea quis de Christi corpore esse, nulla possit pugnacitate evincere. Sed et si nunc facta Christi esse contendas carnem et sanguinem, nichilque accipere fideles ab altari manu, ore, dente terere, guttur transmittere, nisi carnem Christi et sanguinem, falsum est, quod in hoc libro scribit Ambrosius, fidelem accipere ab altari sacramentum, quod ille protulit, qui benedixit fidei patri Abrahae; falsum est, quod dicit, sacramentis Iudaeorum antiquiora esse sacramenta altaris, falsum est, quod dicit, sacramentorum altaris auctorem extitisse Melchisedhec, falsum est, quod dicit, verbis domini, quae in altari ponuntur, panem et vinum consecrari, *quia revera non absumuntur, sed in ulteriora proficiunt, quaecunque consecrantur.* Prorsus beatus Ambrosius in libro de misteriis, si pugnacitas auferatur, de quibus omnino similiter tractet, minime se dissimiliter sentire (114) manifestat, i. e. sicut videri in baptismo aquam oculis corporis, non videri autem oculis

corporis spiritum sanctum, qui aquam consecravit, non videri oculis corporis crucem illam, cui Christi corpus affixum est a Iudaeis, cuius impressio aquam istam sacramentum fecit, non videri mortem et resurrectionem Christi, quae, i. e. mortem et resurrectionem domini, aqua nobis regenerationis per immersionem in se et extractionem a se effigavit: ita videri in altari oculis corporis post consecrationem panis subiectum sensuale et vini, *non videri autem, quae in coelo reposita sunt, corpus et sanguinem Christi*, quia, si ante tempora restitutionis omnium Christi carnem, non dicam, oculis corporis videri, *sed in terris alicubi esse constituis*, contra prophetiam David, contra apostolum Petrum, contra coapostolum eius Paulum, contra scripturas authenticas omnes facis. Constituis autem, non alicubi, *sed ubicunque coelo devocatum*,¹⁾ *ante tempora restitutionis omnium Christi carnem adesse*, qui nichil accipere fideles aliud confirmas ab altari, nisi carnem sensualiter et sanguinem Christi, quod ita est contra rationes fidei, ut nullus fidelium cogitare debeat se ad refectionem animae suae accipere, nisi totam et integram domini Dei sui carnem, *non autem coelo devocatam, sed in coelo manentem, quod ore corporis fieri ratio nulla permittit*, cordis ad videndum Deum mundati devotione spaciosissima nulla indignitate, nullis fieri prohibetur angustiis; ad quod, i. e. *ad cordis devotionem, ad cordis*

¹⁾ alioquin Christi, quod tu asseris, caro esse non posset,

contuitum necessario te trahit, velis nolis, in illo isto, ubi venientes ad accipienda sacramenta altari adortatur, beatus Ambrosius dicens: considera (1) et tu oculis cordis tui, ubi non vacat coniuncta particula: et, sed mittit ad Naaman Syrum, nichil in Iordane attendebat oculis cordis, quod diu contempsit, postea saniore revocatus cogitavit, magnum aliquid divinitus per aquas prodigi donari; unde beatus Ambrosius: considera et oculis tui cordis; videbas, quae corporalia sunt corporalibus oculis, sed, *quae sacramenta sunt, cordis oculis videre non poteras.* dissimiliter, agens de baptismo, vidisti, inquit, videre potuisti oculis tui corporis, non vidisti quae operantur et non videntur. Dum dicit sacramentis altaris: vidisti, quae corporalia sunt corporalibus oculis, necessario proponere cogit quae corporalia esse admoneat in altari, ubi non tibi concedet, confingere, adesse in altari portunculam carnis, portiunculam sanguinis Christi: pro quia impassibilis est caro Christi, nec ultra partes desecari poterit; secundo, quia, etiam si secari contingat, impossibile est, Christi carni coelo ante tempora restitutionis omnium demerterio, quantum ad figmentum tuum, quia, possit caro Christi desecta per partes, vel inter ad hoc altare in terra positum terrenis oculis positum deponi ante tempora restitutionis omnium tu tamen inconcessibile tibi hoc fecisti, qui ne persistis, carnem Christi et sanguinem, quae ad post consecrationem in sacrificio tu confingis

sualiter, videri oculis corporis in altari. Secundum haec, quae praemisi, in libro de misteriis, ad quem me adortabaris, ego accepi, beatum Ambrosium, qui ad considerandum adortatur oculis cordis in sacramentis altaris, revera sentire, quae sacramentorum altaris sunt, sicut non oculis corporis, ita nullo in terra ante tempora restitutionis omnium attingi posse sensuum corporis, nec debuisse dicere de sacramentis altaris: videbas, quae corporalia sunt, (116) corporalibus oculis, considera et tu oculis cordis tui, si cum vulgo ineptiret putans, non esse post consecrationem in altari, nisi portiunculam sensualiter carnis Christi et sanguinis, circa quae, si adessent, necessario potius corpore ageretur, quam corde, nisi forte Christum dominum mente inducas sacrilega aliquem fallere. Simul, cum diceret beatus Ambrosius de sacramentis altaris: considera et tu oculis cordis tui, cum diceret, non posse lumen sacramentorum nisi corde videri, recte ego prorsus accepi, non illi defuisse verba, quibus diceret, sicut tu: quamvis non visus, non gustus, non olfactus, non tactus renuntient tibi, adesse post consecrationem super altare carnem et sanguinem, sed potius panis vini que subiecta sensualia, crede tamen, te nichil aliud in altari, nisi portiunculam carnis manu tenere, ore excipere, guttur transmittere; quod tamen dicere Ambrosius minime potuisset, quia, quod teneri manu concederet, oculis videri corporeis negare tecum nequam posset. De distantia corporis Christi ad manna, quod datum est Iudaeis, quod illud de-

flueret ex aëre, corpus Christi corpus sit coelorum domini, planum est, nullum moveri; de elementorum mutatione revera ab obiectione, quam sibi facit auctor libri fieri a communicante mensae dominicae, incipere debuisti, quia per totum solutionis campum, per omnem inductionem exemplorum ab obiectione intentionem dirigi et ad obiectionem recurri oportebit. Dicit ergo beatus Ambrosius: forte tu dicas: aliud video, quomodo tu dicis, *quod corpus Christi accipiam?* Et hoc nobis superest adhuc, ut probemus. Quantis igitur utimur exemplis, ut probemus, hoc non esse, quod natura formavit, sed quod benedictio consecravit, maioremque (117) vim benedictionis, quam naturae, quia benedictione natura ipsa mutatur! Insiste; duo ponit: naturam, benedictionem. Benedictioni tribuit vim maiorem, naturae minorem. Non ergo solum quiddam in altari constituit, nec naturam destruit, quae destructa nec maiorem nec minorem habeat vim ¹⁾ ————— hic tu, ut dixi, submota de medio obiectione, unde incipiendum fuerat, et ad quam recurrente sententia respirandum, de vera, inquis, panis et vini conversione in verum Christi corpus et sanguinem manifestis ostendit exemplis, congruis per similia asserit argumentis narrans, Moysi virgam in serpentem versam, serpentem in virgam, aquas in sanguinem mutatas, sanguinem in aquas, pluraque in hunc modum.

¹⁾ *Verba in cod. extincta.*

Scribens tu de vera conversione panis et vini, utrum simpliciter accipiendum sit, quod dicitur converti, et *cuiusmodi forte conversionem falsam habendam esse constitueres*, scribere debuisti: convertitur enim, immo *evertitur* aliquid per corruptionem subiecti, ut possit de eo per generationem subiecti aliud quodcunque institui, item: convertitur aliquid non secundum corruptionem subiecti, ut desinat esse, quod fuerit, et per corruptionem huius aliud aliquid secundum subiectum generetur, sed potius, ut idem ipsum maneat ratione subiecti, non autem idem ipsum, secundum quod vel profecit nutu divino in melius, vel defecit in deterius. Converti tamen dicere nemo magis istud dubitabit, quam illud. Item, propositis duobus secundum rationem subiecti sibi coexistentibus, converti alterum in alterum dicitur, sed ut nichil fiat in hac conversione corruptione (118) subiecti vel generatione; etiam circa huiusmodi nemo secundum scripturas loquens sibi nomen conversionis cavebit aut mutationis, nec verius est, quod dicit spiritus sanctus: convertit aquas eorum in sanguinem, quam quod dicit de hominibus prioris populi: conversi sunt in arcum pravum, quam quod dicitur: convertetur Libanus in Chermel, quam quod evangelista non tacet: convertentur corda patrum in filios. Est ergo vera procul dubio panis et vini per consecrationem altaris conversio in corpus Christi et sanguinem, sed attendendum, quod dicitur: per consecrationem, quia hic est huius conversionis modus, nec verum esse poterit, quod

beato imponis Ambrosio, ad hoc sibi proposuisse de virga et serpente, de aquis et sanguine, ut, qui sibi obiectionem fecerat, panem et vinum altaris ita converti in carnem doceretur et sanguinem, sicut factum est per subiecti corruptionem, ut virga esse desineret et serpens item per subiecti generationem esse inciperet, sed ut, *qui in conversione illa divinam miraretur potentiam*, etsi non eiusdem modi, quia non de duobus revera sibi coexistentibus, quia minime per corruptionem subiecti rei existentis, minime per generationem subiecti eius rei, quae nunquam prius extiterit, addisceret mirari eandem divinam potentiam et in conversione ista. Dominus Iehsus Christus cum diceret paralitico: dimittuntur tibi peccata, et blasphemare eum putarent, qui minime Deum esse credebant, ut sciatis, inquit, quia filius hominis potestatem habet, dimittere peccata, surge et ambula, manifeste demonstrans, ad hoc se oculis corporis magnitudinem exhibuisse miraculi, ut, qui in altero crederent, in altero (119) assensum non negarent, qui pro miraculo restituti corporis Deum cogitare pergerent, de divina eius potentia ad dimittenda peccata minime dubitarent. Ita beatus Ambrosius, cum ad obiectorem suum diceret: hoc nobis superest, ut probemus, et adderet: quantis igitur utimur exemplis, ad comparandum sibi circa alia auditoris assensum de virga et serpente, de aquis et sanguine voluit in memoriam revocare.

Manifestis, inquis tu, docet exemplis, certis

per similia asserit argumentis. Revera manifestissimum habere debuit eruditio tua, rem gestam de Moysi virga et de aquis Aegypti nulla prorsus similitudine convenire cum conversione panis et vini mensae dominicae, nulla similitudine res gestas illas ea, quae de pane et vino per consecrationem geruntur altaris, contingere, quia solum quiddam in manu Moysi virga erat, serpens de ea faciendus *nunquam extiterat*, virga manifeste per corruptionem subiecti desitura erat esse virga, serpens per generationem subiecti virga in terra proiecta tunc primo incipere esse habebat, panis autem atque vinum altaris nullam patitur corruptionem subiecti, sed potius consecrationem suscipit, unde beatus Augustinus: quod videtis in altari, panis est et vinum, quod etiam vobis renuntiant oculi vestri; quod autem fides postulat instruenda: panis est corpus Christi vinumque sanguis. Quando ad altare afferuntur, secundum species suas existunt, ut proficiant in aliud, quam erant; benedictionem accipiunt, ita corpus Christi et sanguis fiunt per consecrationem altaris. Per consecrationem, inquam, quod nemo interpretari poterit: per subiecti corruptionem, non quia corpus Christi et sanguis possint vel in toto, vel in parte nunc esse incipere secundum generationem (120) subiecti, quia Christi corpus per mille annos iam existens nullo modo *nunc esse incipere*, nullo modo potest nunc generari. Unde non: manifestis, non: per similia scribere debuisti, quia ibi, i. e. in virga et serpente

singula proponuntur ¹⁾ ——— alterum, quod existens amissurum sit iamiam per subiecti corruptionem speciem suam, alterum, quod esse nunc primo per generationem subiecti incipiat; hic, i. e. in sacrificio ecclesiae, duo proponuntur: *panis et vinum*, quae manifeste secundum species suas existunt; proponuntur *Christi corpus et sanguis*, quae iam, ut dixi, per mille annos extiterunt, et nunc esse incipere nulla ratione, immo vecordia probantur. Quod autem scripsisti: pluraque in hunc modum, multa praecipitatione, multa acceleratione hoc loco egisse convinceris; cum enim scriberes: pluraque in hunc modum, nulla potius scriberes, si verum dicere voluisses. Marini enim fluctus, Iordanis aquae, petra, quae aquas manavit, Mara fluvius, qui iniecto sibi ligno est indulcatus, ferrum, quod aquis supernatavit, ut verbis tuis agam, in pristinis mutata manserunt essentiis; non sunt enim eversa, sicut virga Moysi, sicut flumina Aegypti per corruptionem subiecti, quae *sola secundum subiecti corruptionem* mutata beatus Ambrosius proposuit; unde, quia tu, ubi maxime mora erat necessaria, cito facere voluisti, aggredior ego ex mora prosequi, quam longe a te sentiat beatus Ambrosius in libro de misteriis, ad quem perpendendum me voluisti adortari. Et primo illud non tacendum, quod persuadere conaris, quod ad mensam dominicam pertineat, posse utiliter credi, non posse utiliter inquiri. Si enim inquiri utile

¹⁾ *Verba extincta.*

non esset, qua ratione tantus doctor diceret: nunc illud consideremus, ne quis forte visibilia videns dicat: Iudaeis (121) Deus manna pluit, pluit coturnices, haec autem sunt, quae praeparavit ecclesiae dilectae suae? Plane ista dicens beatus Ambrosius, maxime loquens ad populum, auditores suos ad huiusmodi provocare tractatum non putavit inutile, non frustra ad huiusmodi tractatum se promisit debere summum studium adhibere. Facile illi fuerat, dicere, quod tu dicis: credi utiliter potest, quaeri utiliter non potest. Si quaeri utile non esset, non diceret Augustinus in libro de doctrina christiana: tam diu versetur diligenti consideratione, quod legitur, donec ad regnum caritatis interpretatio perducatur. Si enim hoc proprie sonat, non putetur figurata locutio. Si praeceptiva est, flagitium aut facinus vetans, utilitatem aut beneficentiam iubens, non est figurata. Si facinus aut flagitium videtur iubere, utilitatem aut beneficentiam vetare, figurata est. Ubi dicit dominus: nisi manducaveritis carnem filii hominis et sanguinem biberitis, flagitium aut facinus videtur iubere; figurata ergo locutio est praecipiens, passioni domini esse communicandum et suaviter recondendum in memoria, quod caro eius pro nobis crucifixa et vulnerata sit. Et ne te Lanfranni vecordia a tanta perspicuitate veritatis revocet, aliis scripturae exemplis, quae perverti non possunt, beatus Augustinus antevenit dicens: ubi scriptura dicit: si esurierit inimicus tuus, ciba illum, si sitit, potum da illi, beneficentiam praecipit; sed quod sequitur: hoc enim

faciens carbones ignis congeres super caput ad malivolentiam potest accipi; intellige ergo bones ignis urentes poenitentiae gemitus et cae Alibi, non inutile esse manifestans, quaeri de sacramentis altaris, potest, inquit, (122) animo c quam talis cogitatio oboriri: dominus noster mus unde acceperit carnem, de virgine infans l tus est, nutritus est, ad iuvenilem aetatem per a Iudaeis ligno suspensus est, de ligno depe est, die tertio resurrexit, quo die voluit, *ascendi in coelum, illuc levavit corpus suum*, inde turus est, iudicare vivos et mortuos, ibi est n sedens ad dexteram patris; *quomodo ergo est nis corpus eius et calix, vel quod habet et quomodo est eius sanguis?* Et ad quaesita spondens, non quod ad solum assensum perti unde tu, quantum ad hunc tractatum insanis cens: credi utiliter potest, quaeri utiliter non po sed quod ad intelligendum exsuscitet, ista, in fratres, *non frustra dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur et aliud intelligitur, quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem*, et pervertas, quod dicit: speciem, attende, quod ponit: corporalem, attende, quod dicit in libro catezizandis rudibus, nec sic habendam speciem benedictione sanctificatam; *non enim sanctificatur quod in subiecto est, sed subiectum*. Qui tam prolixam obiectionem faciendam putavit, poterat tecum dixisse breviter: credi utiliter potest quaeri utiliter non potest. Item in sermone

verbis evangelii: quid est, inquit, Christum manducare? Non hoc est solum, in sacramento corpus eius accipere; *multi enim accipiunt indigni*, de quibus dicit apostolus: qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit. Sed quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dicit: qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo; *si in me manet, (123) et ego in illo*, tunc manducat, tunc bibit, qui autem non in me manet, nec ego in illo, etsi accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum. Non dissentit ab Ambrosio beatus Augustinus ad quaerendum de sacramentis adortans in libro de catezizandis rudibus, dicens, cum tardioribus esse agendum de sacramentis pluribus et similitudinibus et verbis; quod dicens, si tecum desipuisset, dicere potuisset: credi utiliter potest, quaeri utiliter non potest. Porro, qui beatum scribit ¹⁾ Ambrosium dicere, panem et vinum per consecrationem altaris desinere esse, quae erant, per corruptionem subiecti, quo detorturus es, quod ait beatus Ambrosius communicaturo mensae dominicae: cum iam per consecrationem altaris facta sint panis et vinum corpus Christi et sanguis, ne quis visibilia videns dicat: ista sunt, quae praeparavit Deus dilectae suae? Tu tibi confingis, secundum quod legitur: vae prophetis, qui prophettant de corde suo, fieri in altari portiunculam carnis Christi per generationem subiecti, quam etiam

¹⁾ Pro: scribit, legendum videtur: scribis. *Ann. edd.*

appellas sacramentum totius, quod in coelo sublimatur, corporis Christi, nec de veritate hoc habens, quia, quam constabit nunc factam esse portiunculam carnis, non esse eam de corpore Christi simul omnino constabit, nec de auctoritate, quia secundum apostolum Paulum satagere debemus comprehendere cum omnibus sanctis non solum cuiusmodi latitudinem, longitudinem, sublimitatem sibi attendere debeat in cruce Christi quisque fidelis, sed etiam cuiusmodi profundum. Quod si comprehendimus, sacramenta prophanare nulla temeritate praesumimus. Si quis enim persistat, vel regenerationis aquam, vel altaris panem et vinum contemptui esse habenda, sicut Naaman contemptui prius habuit Iordanis (124) aquas, non minus animae periculum incurrit, quam corporis incurrat agente tempestate in profundo maris. Tu, inquam, quod placet, confingis tibi, sed beatus Ambrosius, quem auctorem citare non dubitas ineptiae tuae, nullo dissimulat modo, quae velit accipi esse visibilia in altari. Dicit enim: panem et vinum non Abraham, sed Melchisedhec habuit, sacramentorum altaris Melchisedhec auctor exstitit. Sacramentum accipis ab eo prolatum, qui benedixit fidei patri Abrahae, et antiquiora sunt sacramenta altaris synagogae sacramentis, et quae corporalia sunt, videbas veniens ad altare corporalibus oculis, sed quae sacramentorum sunt, non poteras videre oculis cordis, et vidisti sacramenta super altare posita et ipsam miratus es creaturam. Si enim non putavit esse in altari post consecrationem nisi portiuncu-

lam carnis Christi et sanguinis sensualem, et ea corporis Christi et sanguinis esse sacramenta, falsum est, quod dicit Ambrosius, sacramentorum altaris autorem fuisse Melchisedhec, falsum est, quod dicit, fideles ab altari accipere post consecrationem, quod Abrahae obtulit Melchisedhec, falsissimum, quod dicit, sacramenta altaris antiquiora esse sacramentis sinagogae, quia Christi carnem et sanguinem constat per mille annos post datam sinagogae legem non sibi in utero virginis Dei sapientiam fabricasse; nec falsior in his convincitur beatus Ambrosius, si sententiam dedit, absumpta esse in altari panem et vinum per corruptionem subiecti, quam in eo, quod dicit venienti ad sacramenta altaris: videbas, quae corporalia sunt, corporalibus oculis, sed, quae sacramentorum sunt, cordis oculis videre non poteras. Si enim putavit, non videre fideles ad altare venientes panis subiecta sensualia et vini, nulla veritate dicere tantus (125) auctor potuit: videbas, quae corporalia sunt, corporalibus oculis, quia, etiamsi putabat, non esse in altari nisi portiunculam sensualem carnis Christi et sanguinis, eaque confirmabat secundum ineptiam tuam esse corporalia in altari, non putabat tamen, si tecum ineptiebat, quod tu Ambrosio imponere non fugis, videri in altari carnem et sanguinem corporalibus oculis, sed revera beatus Ambrosius dicens: videbas, quae corporalia sunt, corporalibus oculis, panis vinique subiectum videri confirmabat in altari, quod in hoc ipso libro manifestat, ubi dicit: ut tibi respondeam, non erat corpus

Christi ante consecrationem panis altaris, post consecrationem autem dico tibi, quia iam corpus Christi est panis altaris, nec nisi hoc sentiens, postquam dixit: vidisti sacramenta super altare posita, dicere consequenter debuit: ipsam miratus es creaturam, quia constat de continentia tractatus eiusdem Ambrosii, admirationem hic eum ad contemptum voluisse intelligi, ad exemplum Naaman, qui aquas Iordanis contemptui habuit; contemptui autem haberi cuiquam posse putare beatus Ambrosius non potuit, si nichil putabat esse in altari post consecrationem, nisi carnem sensualiter et sanguinem Christi. Non dissentit a beato Ambrosio de non absumpta per corruptionem subiecti specie panis et vini beatus Augustinus, ubi dicit: quod videtis in altari, panis est et vinum, quod etiam oculi vestri vobis renuntiant, quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus Christi vinumque sanguis; et alibi: dominus Iehsus corpus suum et sanguinem in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud ex multis granis conficitur, aliud ex multis acinis confluit. Dicens beatus Augustinus: in eis rebus carnem suam commendavit et sanguinem, quod dicere putandus non est, nisi postquam dominus pani benedixit, (126) nullo modo panem et vinum everti per corruptionem subiecti potuit opinari; nichil enim in eo, quod non sit, poterit commendari. Non ergo beatus Ambrosius alia nobis visibilia, quam panem et vinum, alia invisibilia, quam Christi carnem et sanguinem, proposuit in sacrificio altaris, cum dixit:

ne quis forte visibilia videns, quum invisibilia oculis cordis non comprehenduntur, quod minime ita putetur dictum, quasi invisibilia sint Christi corpus et sanguis, si sint posita prae oculis corporis. Unde et beatus Augustinus: etsi necesse est, visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi; ubi, si cum Lanfranno insanias, carnem Christi esse sensualiter in altari, ipse tibi est laqueus, sicut ille, qui et carnem esse sensualiter in altari constituit, et eam tamen videri non posse contendit contra eruditionem suam, contra communem eorum, qui omnino vecordes non sint, conceptionem. Et apud eruditos enim constat, et eis, qui vecordes non sint, omnino est perceptibile, nulla ratione colorem videri, nisi contingat etiam coloratum videri. Ita enim scribit Lanfrannus colorem et qualitates portiunculæ carnis Christi, quam sensualiter esse in altari desipit, videri oculis corporis, ut tamen caro illa, cuius color videtur, omnino sit invisibilis, cum constet, omne, quod in subiecto est, sicut, ut sit, ita etiam, ut videatur, non a se habere, sed a subiecto, in quo sit, nec visu vel sensu aliquo corporeo comprehendi colorem vel qualitatem, nisi comprehenso quali et colorato. Beatus etiam Gregorius unum quiddam dicit in dialogo de visibilibus et invisibilibus sacrificium ecclesiae fieri, et in oratione, quae ad mensam pronuntiatur dominicam, habemus, ut, quae visibilibus sumenda ministeriis percepimus, quod, i. e. visibilibus, ad subiecta ipsa, non ad ea, quae in subiectis eis (127) sunt, necesse sit referas, invisibili consequamur effectum; et si ista

quoquo pacto in aliud detorqueri valeant, quid facimus, ubi per yroniam sibi facit obici beatus Ambrosius: haec sunt, quae praeparavit Deus dilectae suae, ad exemplum Naaman, qui dixerat: nonne meliores sunt Abana et Farfar? Si enim, quod superius satis prosecutus sum, non est in mensa dominica nisi caro Christi et sanguis, poterat de eis, quasi de habendis contemptui, per hironiam dici: haec sunt, quae praeparavit Deus dilectae suae? Dum ergo: haec, dicit, panem et vinum intelligi voluit. Eodem modo, de sacramentis regenerationis tractans, dictum est tibi, inquit, ut non hoc solum crederes, quod videbas, et diceres: aquas video, quas videbam, sed non aqua, inquit, sine spiritu mundat. Ita si comparanda putavit sacramenta altaris sacramento baptismi, de paribus pariter tractans, quod superius satis sum prosecutus, maxime per eadem verba, maxime per eandem, ut sibi auditor aliquid obiciat, praemonitionem, si sensisset, in baptismo quidem aquam per corruptionem subiecti non auferri, sed auferri panem in altari, non ei verba deerant, quibus hoc manifestissime indicaret. Sed etiam ista perverti posse concedimus; perverti non poterunt, quae secuntur. Ea, inquit, protulit Melchisedhec; perverti non potest, panem et vinum Melchisedhec protulisse, quae Abraham veneratus accepit; et addit conversus ad fidelem altaris sacramenta accipientem: divini igitur muneris est sacramentum, quod accipis, ab eo prolatum, qui benedixit fidei patri Abrahae; sed quia ab obiectione te superius dixi debuisse inci-

pere, inde ego incipiens, quod donaverit dominus, explicabo. Forte dicas, inquit, aliud video; ubi primo notandum, (128) non sensisse beatum Ambrosium tecum, qui dicis: credi utiliter potest, quaeri utiliter non potest, quia, si ita sensisset, nequaquam ad populum loquens provocaret, ut sibi aliquis de eo obiectionem faceret. Deinde, quod scribis, beatum Ambrosium hoc loco sententiam tulisse, quod desint mensae dominicae panis vini-que subiecta, quia dicit: ut probemus, *hoc non esse, quod natura formavit*, responderi primo tibi oportet, de obscuris recurrendum esse ad manifesta, sicut de imis est progrediendum ad summa, et de eodem libro ea proponi oportet, quae indis-simulabiliter ostendant, ex sententia beati Ambrosii panem et vinum, non quae tropice dicantur, sicut tu pervertis, panis et vinum, sed quae locutione propria panis dicantur et vinum, panis, inquam, qui de multis granis conficitur, ut ait in evangelio beatus Augustinus, et vinum, quod de multis acinis defluat, minime post consecrationem in altari deesse. Dicit ergo beatus Ambrosius in hoc ipso de misteriis libro ad fidelem coenae dominicae communicantem: sacramentum accipis ab eo prolatum, qui benedixit fidei patri Abrahae, in quo nulla pugnacitate verum dixisse convincitur, si constat, non superesse in altari panis subiecta et vini; unde ipse in eodem tractatu dicit: panem et vinum Melchisedhec protulit, sacramentorum auctor Melchisedhec extitit. Item in hoc ipso libro, vidisti, inquit ad eum, qui ad altare communicaturus acce-

dit, sacramenta super altare posita, et ipsam miratus es creaturam, creatura tamen solennis et nota; quae ita dicta de subiectis panis et vini accipienda esse superius satisfeci, constatque, non potuisse dicere beatum Ambrosium: vidisti sacramenta super altare (129) posita, si putasset, sicut tu secundum errorem vulgi atque Pascasii Corbeiensis monachi, nichil esse in altari post consecrationem, nisi portiunculam carnis et sanguinis, eaque ipsa minime videri, quia, qui in hoc insanis, tu ipse tamen non videri in altari carnem et sanguinem omnino contendis. Et quod addidit: creatura tamen solennis et nota, minime addidisset, si putasset, esse sensualiter in altari portiunculam carnis Christi, quam, quod nulla secula noverant, tanta insolentia, tanto miraculo sibi fabricavit in utero virginis sapientia Dei. Item in hoc ipso de misteriis libro, offerimus, inquit beatus Ambrosius, immaculatam hostiam, incruentam hostiam hunc panem sanctum; in quo loco tota falsitate incruentam hostiam posuit, si nichil aliud in calice, quam cruoris portiunculam, esse putavit; et quod addidit adhibito pronomine: hunc panem sanctum, ad distantiam panis communis, ad distantiam panis inconsecrati pronomen: hunc, sicut apostolus adhibuit, quod minime adhibuisset, si secundum figmentum cordis tui nichil esse putavisset in altari, nisi portiunculam carnis Christi, [quod dum tu tibi confingis, dicis tamen non negare te, panem esse post consecrationem in altari, cum sit ibi caro Christi, quam scribis recte quidem illud panem esse, qui de coelo descendit; sed hoc si

tecum beatus sensisset Ambrosius, ita dicere: hunc panem sanctum, adhibito pronomine necessarium minime putavisset ¹⁾]. Item in hoc ipso de misteriis libro, fac, inquit beatus Ambrosius, hanc oblationem ratam rationabilem, *quod est figura corporis et sanguinis domini*; in qua oratione sibi ipsi contrarius fuisse putandus non est, ut ab his, quae praemisit, (130) dissentiens tecum putaverit, portiunculam carnis, portiunculam sanguinis Christi esse post consecrationem in altari, *eam tamen esse sacramentum corporis illius Christi atque figuram*, quod sedet ad dexteram patris. In epistola ad Hebraeos minime dissentit b. Ambrosius ab his, quae ex libro de misteriis insistenda putavi. Ait enim in epistola ad Hebraeos: in ista carne et sanguine nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat, sed salvatricem vivificatricemque substantiam in pane et vino; cui consonat eisdem verbis beatus Augustinus in libro ad neophitos dicens: hoc accipe in pane, quod pependit in cruce, hoc bibe in calice, quod manavit e latere. In libro item de officiis, ante, inquit b. Ambrosius, agnus offerebatur, offerebatur vitulus, nunc Christus offertur et offert se ipse, ubi ad patrem pro nobis quasi sacerdos intervenit; hic in imagine, ibi in veritate. In quibus beati Ambrosii dictis si pervertere contendis, quod dicit: in imagine, ut portiunculam carnis Christi, quam confingis fideles sensualem accipere ab altari, contendas imaginem esse

¹⁾ Mutandum.

eius, quae in coelo est, carnis Christi, duas inducis Christi carnes contra rationem fidei, neque minus constabit, non potuisse beatum Ambrosium hoc loco destruere, quod supra memoratis in locis manifeste asseruit. His praefixis illud contra te oportet intendi, etiam si nonnulla extent ita obscura, ut difficile vel impossibile sit mihi, ad normam ea manifestorum interpretari, illud tamen manere constantissimum, nunquam beatum Ambrosium de eodem in tractatu eodem sibi (131) scripsisse contraria, uni tractatui plures praevalere maxime auctoris eiusdem; quod qui non concedit, concesserit necessario, virum, de quo agitur, nulla auctoritate eminere. Ita is, qui b. Ambrosii dictis contra veritatem nitebatur, dum illi ipsi derogat, quasi Goliath gladio proprio deperit necessario. His ita praemissis non est tacendum, verba beati Ambrosii, quibus contra illum ipsum niti persistis, recte intelligentibus ininterpretabilia ad normam manifeste dictorum ab eo minime esse habenda, sed similibus ex locis scripturarum omnino firmabilia. Facit ergo b. Ambrosius suum sibi obicere auditorem ita: aliud video; quomodo tu mihi dicis, quod Christi corpus accipiam? In hac obiectione duo sunt: unum, quod aliud videat, unde minime dubitet; alterum, quod auditorem in quaestionem mittit, sacerdotem dicere, quod corpus Christi accipiat. Alterum b. Ambrosius concedit, quia non refellit, i. e. quod aliud revera quam corpus Christi, in altari videat, i. e. panem; alioquin ita omnino b. Ambrosius, minime, quod in altari est,

invisibile esse, secundum vecordiam tuam iudicans, respondisset: quod dicis: aliud video, corrige, ut dicas: aliud mihi videre videor, quia non superest post consecrationem panis omnino; alterum, i. e. quod Christi corpus accipiat, se exemplis probabile facturum obiectori promittit, quia illud, quod videt, i. e. panis, consecratione suscepta non est, quantum ad consecrationem, quod illum natura formavit, i. e. non est panis a benedictione altaris, sed corpus Christi, ut, dum ore accipit illud, quod videt, quod natura formavit, i. e. panem, si in Christo manet, non iniuria dicatur *corde accipere corpus Christi*, quod factus est, sed per consecrationem, ipse panis, in quo plura pendenda sit vis divinae benedictionis, (132) quae panem fecit esse corpus Christi, quam naturae vel artis, a qua, ut panis esset, accepit. Ait ergo b. Ambrosius: quantis utimur exemplis, ut probemus, i. e. ut probabile tibi faciamus, i. e. ut, qui alibi assensum praebis, hic assensum non neges; hoc subauditur: quod tu aliud vides, i. e. panem non esse, quantum ad mensam dominicam, id, quod eum natura formavit, i. e. panem, sed corpus Christi, quod eum esse instituit divina benedictio, sed per consecrationem altaris. Quantum enim ad naturam, panis est, quod tu vides oculis corporis, quantum ad divinam benedictionem, ipse panis est corpus Christi, quod attendere debes oculis cordis, oculis fidei. Non desunt in communi oratione, non desunt in scripturis dicta, quae merito conferantur istis beati Ambrosii dictis. Ponamus enim, privatum aliquem,

verbi gratia Petrum Giraldum, provectum per consecrationem in antistitem, non se satis digne suscepto sacerdotio agentem ab aliquo admoneri, assolentissimum habebitur, si ita dicat, qui eum admonebit: quid tibi vis, Giralde, quas res agis? Non cogitas, quia non es Giraldus, sed ecclesiae episcopus? Tolerabile utcunque fuit, quod te sic habebas, quam diu Giraldus fuisti, iam non es¹⁾ attendendum in te, quod fuisti, sed quod tibi sacerdotis consecratio contulit. Secundum hoc dicendi genus perpendenda sunt quam multa in scripturis! Mea, inquit dominus, doctrina non est mea; alibi: qui credit in me, non credit in me; alibi: ego sum vermis et non homo. Qui non ex sanguinibus, inquit evangelista, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo nati sunt. Vivo, inquit apostolus, iam non ego; alibi: iam non est servus, sed filius; alibi: non enim Iudaeus est, qui in manifesto Iudaeus est, neque circumcisio est, quae in manifesto circumcisio est. (133). Peccaverunt ei, inquit propheta, et non filii eius in sordibus, qui tamen ipsi provocaverunt eum, inquit consequenter: filii sui et filiae. Nemo scit nomen eius, legitur in apocalypsi, ubi habes continuo: vocatur verbum Dei. Dominus in evangelio, non enim vos estis, inquit, qui loquimini; iam non estis in carne, inquit apostolus; Augustinus in epistola ad Romanos, non iam creatura, inquit, sed filii Dei sumus. Beatus Ciprianus in libro de poenitentia

¹⁾ Giraldus, i. e. non est

quendam iuvenem, qui a se turpem reiecerat amorem, ad eam, cum qua flagitiosam habuerat consuetudinem, ita dicentem inducit: tu quidem illa es (quia flagitium adhuc in ea vivebat), sed ego non sum ille. Sunt baptismata gentium, inquit beatus Ambrosius, sed non sunt baptismata. Nimirum, qui huiusmodi in communi locutione, huiusmodi dicta diligenter attendit in scripturis, perturbari non debet, ubi audit beatum Ambrosium dicentem obiectori suo: probabile tibi faciam inductione aliorum mirabiliter a Deo factorum, id, quod tu aliud vides, i. e. panem, non esse panem, quantum ad mensam dominicam, quod eum natura formavit, sed corpus Christi, quod eum divina benedictio per consecrationem esse instituit, quod aliis verbis minus insolenter ita dixisset: quaeris, quomodo dicam, corpus Christi accipere te, qui aliud vides, i. e. panem; sed panis iste consecratione suscepta non est aestimandus, quantum ad sacrificium Christi, secundum quod est panis, quod eum natura formavit, sed secundum quod eum benedictio corpus Christi esse instituit; multoque plurius est in pane sacrificii ecclesiae, quam quod habet a natura, ac per hoc, secundum quod maius in eo est, dico, te corpus Christi ab altari accipere. Quod consequenter ponit beatus Ambrosius, quia benedictione (134) natura ipsa mutatur, ita perverse videris accipere, quasi non possit verbum: mutari, accipi, nisi per corruptionem existentis et generationem eius, quod nondum extiterit; quod refellit b. Ambrosius continuo utens eo verbo, quod est: muta-

tur, quam circa eam, quam praedixi, mutationem, qualis fuit virgae in serpentem, tam circa aliam dicens: claret, naturam maritimorum fluctuum vel fluvialis cursus esse mutatam. Exemplum, inquit tu, virgae proponens b. Ambrosius palam fecit, idem se sentire de mutatione panis in corpus Christi. Hic tibi respondendum est, quod nulla possis pugnacitate propellere, non minus b. Ambrosium exemplum proposuisse maritimorum fluctuum et fluvialis cursus, in quorum mutatione nichil actum est per corruptionem Marini vel Iordanici fluenti, sicut nec petra esse destitit manando aquas, nec Mara fluvius, in quem Moyses lignum, ut indulicaretur, iniecit, fluvius esse destitit, nec ferrum aquis supernatando speciem ferri amisit, nec ignis, quem Heliae sermo ita mutavit, ut de coelo rueret, minus, quam si de sursum non rueret, adversarios concremavit. Unde si convincis, mutationem panis et vini beatum putavisse Ambrosium per subiecti corruptionem in altari fieri, quia de virga in serpentem mutata exemplum induxit, convinceris et tu, beatum Ambrosium sensisse, ita panem et vinum mutari in altari, sicut ipse manifeste exponit, ut nichilominus, quae fuerant, supersint, quod tu indigne vigilantia tua manifeste satis pervertere conatus nichil efficis. Scribis enim, in eo, quod dicit beatus Ambrosius: si operatorius est Christi sermo, ut inciperent esse, quae non (135) erant, multo magis operatorius est, ut sint, quae erant, et in aliud commutentur, subaudiri oportere: specie, ut ita legatur: ut sint specie. Si dissimulare vo-

lueris, hoc te dixisse contra eruditionem tuam, admirationem facis. Non enim satis congrue subaudiri dicitur vel in scripturis, vel in sermone communi, nisi aliquid habeat sibi inditum vel scriptura vel sermo, sub cuius continentia vel quasi involucre corde attendi, corde audiri possit illud, quod vel scriptura non appositum, vel sermo reliquit inpronuntiatum. In eo, quod scribit b. Ambrosius: operatorius est, ut sint, quae erant, nichil posuit, sub cuius continentia, ut dixi, habeas: specie, quod apponis, nec de constantia sententiae, quasi tecum senserit, addere: specie, quod tu supleres, omisit, maxime cum etiam inductione consequenti a perversitate tua lectorem suum manifeste probetur avertere, dicens: denique tu ipse eras, sed eras vetus creatura; postquam consecratus es, nova creatura factus es. Quibus dictis impervertibiliter manifestavit, se panis et vini mutationem habere eandem ei, quam in regenerato attendendam esse proposuit. Simul non parvi stuporis in eruditione tua esse poterit, quod sententiam ferre non dubitasti, esse rem aliquam, quae erat, postquam immutata sit per subiecti corruptionem, pro eo, quod res alia, quae modo esse primum inceperit per subiecti generationem, accidentia habeat accidentibus rei per subiecti corruptionem assumptae similia. Verbi gratia quis, nisi insanus, contendat, uxorem Loth, postquam in statuam salis mutatum est corpus eius, adhuc esse, quae fuerat, quia statua salis eandem forsitan longitudinem, latitudinem, gracilitatem, lenitatem coloremque (136) retineat,

cum color iste statuae salis et alia non sint, nisi in subiecta salis statua, cum omne, quod in subiecto sit, sicut non a se habet, ut sit, ita, ut videatur sensu corporis, a se habere non possit? Quis te ipsum, qui prius eras, iam non esse addubitet, si corpus tuum subito vis divina corpus inanime marmor faciat, pro eo, quod marmor, qualia in corpore tuo fuerant, forsitan liniamenta praetendat? Quis videns colorem marmoris, de carne tua per corruptionem ipsius carnis facti, vel quodcunque in subiecto illo sit marmore, contendat vecordissimus, se colorem illum et non marmor videre, cum causa videndi coloris vel cuiuscunque, quod in subiecto est, subiecti ipsius visio sit, apud ipsam, quae Deus est, veritatem *subiecti et eius, quod in subiecto est, non sensu, sed intellectu solo separabilium compactricem?* Quid porro vecordius dici potuit, quam quod tu dicis, carnem esse sensualiter in altari, et eam carnem colorem habere, eumque colorem, qui in subiecta sit carne, videri oculis corporis, ut caro ipsa maneat invisibilis? Simul, ubi dicit b. Ambrosius: qui potuit ex nichilo facere, quod non erat, non potest ea mutare, quae sunt, in id, quod non erant, cum dici non potest, ea, quae sunt, in id mutare, quod non erant, non dici non potest eis, quae sunt, auferre, quod erant; quod profecto dixisset, si ineptiae vulgi, Pascasii tuaeque in mutatione panis et vini, consecratorum in altari, consentiendum esse putavisset.

Ad ultimum, inquis tu, praemisso miraculo de partu virginis inquit Ambrosius: et hoc, quod

conficimus, corpus ex virgine est, et ne naturam divinae potentiae praeponeres, quasi non possit Deus cuiuslibet rei mutare naturam, occurrit (137) dicens: quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse dominus Iesus partus ex virgine? Sextum quoque de sacramentis librum, in quo praefatum mendacium eum dixisse mendaciter affirmasti, sic incipit: sicut verus est filius Dei dominus noster Iesus Christus, non, quemadmodum homines, *per gratiam, sed per naturam, ita vera caro eius est, quam accipimus, et verus eius sanguis, quem potamus.* Paucissima de multis me dixisse sufficiat, ut perspicuum fiat, qua fraude fingis non inventa, qua astutia depravas inventa, qua pervicacia detorquere conaris, quae relinquis illaesa, cuius nequitiae a tempore *Luciani et Isicii* nulla fere haereticorum pravitas similis extitit, quorum uterque propheticas, evangelicas, apostolicasque scripturas ad suae causae commodum depravavit. — Primo, inquit ego, de eo, quod postremum tu ponis, non de rei veritate, divinitate propicia, sed de calumniae tuae falsitate, respondeo, non frustra, sed ad solatium suorum dictum esse auctori rerum: daemonium habes, ad quod quia non respondit nisi: daemonium non habeo, sufficere mihi debet, non redhibere convitia, sed omnibus veritatis amatoribus, ut mihi credant, qui forte hoc legerint, proponere, gloriam me habere testimonium conscientiae meae, nulla me unquam contra veritatem catholicam confinxisse, nulla depravasse scripturarum loca, nulla te veritate Lu-

ciano me vel Isicio similem scribere potuisse. Hoc praemisso tacere non debeo, te potius, quod de me mentiri non horruisti, beati Ambrosii scripta perverse interpretata, nimia praecipitatione non lecta, sed neglecta tuae in me calumpniae iniustissime commodare, quod facere manifestum non possem, si (138) dans operam brevitati obiectionem, quam sibi beatus Ambrosius fieri voluit, totiusque ad obiecta responsionis non prosequerer seriem, contra quod tu non sine iniuria exigis, ut pauca his, qui scriptum tuum legerint, sufficere debeant, ubi dicis: et hoc, quod conficimus, corpus ex virgine est, quasi minime attenderis et in sermone et in scriptura; qualiter praecedentia posterioribus praescribant, posteriora a praecedentibus pendeant, qualiter pars quaecunque se toti suo debeat, et quod b. Ambrosius admonet: vide distinctiones singulorumque verborum proprietates, et b. Augustinus: appende verbum, cape inde consilium. Quod enim scribit b. Ambrosius: et quod conficimus, corpus ex virgine est, a superioribus suis pendet, perpendi separatum ab aliis per se non potest. A superioribus ergo incipiendum est b. Ambrosii dictis. Ait ergo in praecedentibus: sed quod argumentis utimur, tanquam dicat: post multa, quae ad comparandum auditoris assensum quasi de longinquo, quasi de alieno advocavi, postquam argumentum a minore proposui, dicens: si tantum valuit sermo Heliae, qui minor est, ut naturam ignis mutaverit, non valebit Christi sermo, ut species mutet elementorum? (pertinet enim panis ad

elementum terrae, ad elementum aquae vinum) postquam firmavi, posse illum, qui de nichilo cuncta creavit, quod est maius, quaelibet iam existentia in id mutare, quod non erant, quod minus est, (quod quidem duobus fit modis, quos proponere b. Ambrosius quasi manifestum omisit, uno modo, ut non supersint, quae erant, unde illud: convertit aquas eorum in sanguinem, et illud virgae in serpentem, altero modo, ut supersint, quae erant, et in aliud commutentur, unde (139) in sequentibus dicturus est, ut sint, quae erant, unde illud: conversi sunt in arcum pravum, et quod superius posuit b. Ambrosius de Marinis et Iordanicis fluentis, de petra et securi) omissis, inquit beatus Ambrosius, argumentis suis utamur exemplis. Non erat transeunter hic agendum, quod tu contra eruditionem tuam fecisse videris, sed attendendum necessario pronomen: *suis*. Convincit enim pronomen hoc, quod est: *suis*, omnia superiora, quasi de longinquo proposita, obiectionem respicere, quod vero iam intendat, quasi de vicino, de insito, quod ad quaestionem pertinet, absolutum facere; quasi diceret b. Ambrosius: multa superius convocavi, argumenta proposui, per quae obtinerem auditoris assensum: tandem *suis* (proponendum tibi est: cuius vel quorum suis, cogerisque necessario a continentia prosecutionis obiectorum, cum legis: *suis*, subaudire: ipsius corporis, de quo illi obiectum fuit, quomodo tu dicis, quod Christi corpus accipiam? ut ita b. Ambrosium dixisse accipias:) tandem *suis* ipsius corporis vel *suis* huius quaestionis,

suis huius, quae de corpore Christi facta est, discussionis utamur exemplis; vicinum enim mihi, qui dico, te accipere Christi corpus in eo, quod aliud vides, in pane consecrato, quem vides, id firmare exemplo generationis eiusdem corporis Christi; remotum et quasi de longinquo sumptum exemplum Marini vel Iordanici fluenti, securis, petrae, fluvii, quanquam horum mutatio eadem sit mutationi panis et vini, ut sint, quae erant, ea, quae mutantur, de remotissimo autem virgae et serpentis exemplum, quae per corruptionem subiecti mutata sunt; quasi dicat: de corpore ad corpus exemplum ducam, de generatione corporis Christi ad mutationem panis in corpus Christi; (140) sicut enim generatum est corpus Christi praeter notam omnibus consuetudinem generandi, ita panis altaris convertitur in corpus Christi, ut sit panis, qui erat, et corpus Christi, quod non erat, praeter illam omnibus notam conversionem, secundum quam de eo, quod est, instituitur esse, quod non erat, per corruptionem ipsius, quod erat; haec autem conversio panis in corpus Christi intelligibilis est nec omnibus nota, et secundum hanc scriptum est: conversi sunt in arcum pravum, et illud: ut convertat corda patrum in filios, et illud: convertetur Libanus in Chermel. Virgo, inquit Ambrosius, praeter naturae ordinem generavit, et merito exemplum istud assumimus de generatione corporis Christi ad respondendum ei, qui obiecit: quomodo dicis, quod Christi corpus accipiam, quia hoc, quod conficimus, est corpus Christi ex virgine, (subauditur: generatum) unde

iure potui dicere, fidelem, qui hoc, quod conficimus, acciperet, Christi corpus accipere. In his b. Ambrosii verbis, quae ita contexuit: et quod conficimus, corpus ex virgine est, vix a clamore abstinent non lectores, sed scripturarum perversores, quasi manifestam dederit b. Ambrosius pro vulgi errore sententiam, dicens: et hoc, quod conficimus, corpus ex virgine est, sed eruditionem tuam, cum hoc legeres, attendisse oportuit, quod beatus admonet Augustinus: appende verbum et cape inde consilium, et beatus Ambrosius: vide distinctiones singulorumque verborum proprietates. Non enim negligenda est vis coniunctivae dictionis, vis pronominis in eo, quod dicit b. Ambrosius: et hoc, quod conficimus, corpus ex virgine est; cum enim dixisset: virgo praeter naturae ordinem generavit, apposuit particulam *et*, tanquam diceret: attendo generationem corporis Christi, quia agendum (141) erat de corpore Christi ad eum, qui obiebat: quomodo dicis, quod Christi corpus accipiam? Apposuit etiam pronomen: *hoc*, quod revera praemisso debetur nomini, quia et in communi sermone et in scriptura oportet, ut priora et posteriora et dicta et sensa et sermocinantis et scribentis sibi constent, sese fulciant; proxime autem superius, quid consecratur, quid conficiatur, beatus Ambrosius non tacuerat, dicens: sacramentum, quod accipis, Christi sermone conficitur, et in sequentibus: ubi venit, ut conficiatur venerabile sacramentum, quod, i. e. sacramentum, nimium contra eruditionem tuam tu quidem habendum constituis por-

tiunculam carnis, portiunculam sanguinis, quae facta esse de pane et vino per corruptionem subiecti non dubitas affirmare, sed a nulla veritate, a nulla hoc habes auctoritate. Verum est enim, nichil nunc Deum facere, nichil umquam per subiecti generationem fecisse, nisi quod non prius fuerit; unde, cum sublato pane per corruptionem subiecti portiunculam carnis nunc factam per generationem subiecti constituis, videndum tibi est necessario, non esse corporis Christi, quae nunc primum esse coeperit, portiunculam carnis, quia Christi corpus per mille iam annos et pro parte et pro toto insolubiliter extat, insolubiliter extitit; nec fieri ergo nunc primum nec confici posse per generationem subiecti, sicut nec consecrari constat inrevincibiliter corpus Christi. Rerum exteriorum est, panis et vini est, confici, consecrari; haec incipere possunt esse, quod non erant, corpus Christi et sanguis, sed per consecrationem, non per corruptionem panis et vini et generationem corporis Christi et sanguinis, quae constat semel potuisse generari. (142) Porro quod ad auctoritatem pertinet, non dissimulat b. Ambrosius, quid sacramentum esse sentiat, ubi dicit in hoc libro de misteriis: Melchisedhec panem et vinum Abrahae optulit, Melchisedhec sacramentorum auctor extitit, et consequenter: sacramentum accipis ab eo prolatum, qui benedixit fidei patri Abrahae; et alibi: ut ergo tibi respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, ubi necessario subaudiendum est: panis altaris; post consecrationem autem, inquit b. Am-

brosius, dico tibi, quia iam est corpus Christi, ubi item omni necessitate cogaris subaudire: *panis altaris*; alibi: antiquiora sunt sacramenta altaris sinagogae sacramentis, quia, sicut superius satisfeci, per mille post datam sinagogae legem annos nondum sibi assumpsit sapientia Dei carnem et sanguinem in utero virginis: alibi: probemus, quomodo, qui panis est, corpus sit Christi, ubi non dicit Ambrosius: qui panis *fuit*, quomodo desiit esse panis et esse incepit corpus Christi, sed ait: quomodo, qui panis *est*, corpus sit Christi; nec ait: quomodo sit panis, quod corpus est Christi, secundum ineptiam tuam, qui dicis, non negare te, esse panem in altari, quia ibi sit portiuncula carnis, quam esse dicas panem, qui de coelo descendit. Alibi, videbas, inquit b. Ambrosius accedenti ad sacramenta altaris, quae corporalia sunt, corporalibus oculis, quae autem sacramentorum sunt, cordis oculis videre non poteris. Dicens: videbas, quae corporalia sunt, corporalibus oculis, nullo modo tecum sentire potuit, qui dicis, nichil esse in altari post consecrationem, nisi portiunculam carnis Christi, eamque in altari invisibilem, intelligibilem, qualia non videntur corporalibus oculis, confirmare non metuis, contendisque non minori vecordia, colorem et alias qualitates ipsius portiunculae carnis videri oculis corporis, (143 ^a) quod non minus vecorditer intendisti, quam si consisteres, colorem qualitatesque frontis tuae, nasi, digiti, vel cuiuscunque in corpore tuo partis videri oculis corporis, manu corporea ungi, fomentari, frontem autem, nasum,

digitum omnino non videri, omnino non ungi, non fomentari, cum constet, ut dixi, apud ipsam, quae Deus est, veritatem, subiecti et eius, quod in subiecto est, compactricem, colorem et quascunque qualitates sine colorato, sine quali nullum videre oculis corporis, colorem et qualitates, sicut, ut sint, ita omnino habere, ut videantur, a colorato et quali, constet etiam, haec a Deo compacta, subiectum dico et quod in subiecto est, solo intellectu, minime visu vel quocunque sensu corporeo separari, ut etiam ad vecordiam tuam hanc, qua dicis, colorem videri colorato manente invisibili, secundum evangelicum illud: quod Deus coniunxit, homo non separet, convenientissime possit inferri: quae Deus in ipsa eorum constitutione inseparabilia, quantum ad sensum corporis, esse instituit, Lanfranni vecordia separare non debuit. Non minus in epistola ad Hebraeos beatus manifestat Ambrosius, panem et vinum esse sacramenta altaris, ubi dicit: in ista carne et sanguine nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat, sed salvatricem vivificatricemque substantiam in pane et vino, quod eisdem verbis b. Augustinus dicit: hoc accipe in pane, quod pependit in cruce, hoc bibe in calice, quod manavit e latere. In quo loco si tecum contra catholicam veritatem accipiendum esse voluisset secundum tropicam locutionem, quod dixit: in pane et vino, tecum sentiens, portiunculam carnis Christi et sanguinis tractabilem esse in altari post consecrationem assumpto pane et vino per subiecti corruptionem, nec minus tamen dicere vo-

lens (143^b) secundum ineptiam tuam: in pane et vino, quia ipsa portiuncula carnis, ipsa portiuncula sanguinis Christi habenda sit secundum tropicam locutionem panis, qui de coelo descendit, et vinum, quod laetificat cor hominis, cum dicit: sed salvatricem vivificatricemque substantiam in pane et vino, nil aliud dicit, quam si dicat: sed salvatricem vivificatricemque substantiam in salvatrice vivificatriceque substantia, quod profecto si dixisset, satis subtilitate atque eruditione sua indigne dixisset. Alibi in eadem ad Hebraeos epistola longe se abesse b. Ambrosius manifestat a Lanfranni sententia, dicens: quomodo una est ecclesiae hostia et non multae? quia semel immolatus est Christus, ecclesiae autem sacrificium exemplum est illius; et paulo post: non aliud sacrificium, sed ipsum semper offerimus, magis autem sacrificii recordationem operamur. Si constat, immo quia constat, Christum obtulisse sacrificium totum corpus suum, nec aliud sacrificium offerre ecclesiam, sed id ipsum, falsum est, quod sibi confingit Lanfrannus, offerre ecclesiam portiunculam carnis, nunc primum esse institutam per generationem subiecti; alioquin minime nunc primum de pane per corruptionem ipsius panis portiuncula illa carnis per subiecti generationem fieret, nisi eam nunc primum incipere esse constaret, verissimumque est nec ulla tergiversatione dissimulari potest, aliud esse totum corpus Christi; quod ante mille annos sibi fabricavit in utero virginis sapientia Dei, aliud portiunculam carnis, quam tu tibi facis de pane per corruptionem panis ipsius

hodie factam in altari per generationem ipsius carnis. Non dissentit a b. Ambrosio beatus Augustinus manifeste demonstrans in sacrificio ecclesiae panis vini que subiecta: (144) altari panis est, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant, de pane, qui proprie, non tropice panis dicatur, manifestavit se dicere; de pane enim tropico, qui et spiritualis non dici non potest, impossibile est, corporeos oculos aliquid renuntiare, et in diffinitione sacramenti id ipsum inculcans, sacramentum est, inquit, invisibilis gratiae visibilis forma. Infinita est enim vecordia, maxime cum tanti Augustinum facias, si putes, eum, qui ita scripserit, tecum ineptire, qui tibi confingis, pane absumpto per corruptionem subiecti portiunculam carnis sensualiter adesse in altari, maxime cum tu portiunculam illam carnis et sacramentum esse et invisibilem tamen esse constituas, b. autem Augustinus indissimulabiliter confirmet, quod sacramentum sit, et formam, i. e. sacramentum esse et visibile esse. Hic tu forte attemptes pervertere, quod dicit b. Augustinus visibilem formam, *quasi possibile sit, videri formam, cum sit tamen formatum invisibile*, secundum quod tu ab eruditione tua longe peregrinatus confingis, colorem vel quaecunque accidentia portiunculae carnis videri oculis corporis, ipsa portiuncula carnis manente invisibili. Sed revera, cum dicit b. Augustinus: sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma, non est putandus aliter sensisse, quam sensit in libro de catezizandis rudibus, ubi dicit: signacula non panis et vini, sed rerum divinarum sunt visi-

bilis, sed res invisibiles in eis honorantur, et in libro de unico baptismo, si, inquit, ad res, de quibus sacramenta tractantur, animum conferamus, quis nesciat esse corruptibiles? Ita cum dixit: sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma, non formam a formato divisam, quod solus facere potest intellectus, visibilem praeter formatum esse constituit, sed rem invisibilem transformatam in rem visibilem et rem visibilem factam esse formam invisibilis, commendavit.

Unde beatus (145) Ambrosius alibi contra Arrianos, si, inquit, credas, a verbo carnem esse assumptam et *offeras transfiguratum corpus altaribus*, et b. Gregorius in omelia pascali, bonus pastor, inquit, animam suam posuit, ut in sacramenta nostra corpus suum et sanguinem converteret et gregem suum carnis suae alimento satiaret. Ita cum dicit b. Ambrosius in quarto illo sermone: forma corporis altare est, accipi *coluit altare* pro ea, quae est in altari, materie panis et vini, quasi diceret: *ea, quae sunt in altari, panis et vinum, sunt forma corporis et sanguinis*; quod eisdem paene verbis b. Augustinus tractat, dicens: hunc panem significavit manna, hunc panem significat altare Dei, et, quid altare diceret, alibi manifestat dicens: videte, fide manente, signa variata: Iudaeis petra erat Christus, nobis est Christus, quod in altari ponitur; ubi si verum insistis, sicut petram aliud, quam Christum, fuisse cognoscis, quamvis petra vere fuerit Christus, sed in signo (unde ipse b. Augustinus: petra Christus in signo, verus Chri-

stus in carne et verbo), ita, quod in altari ponitur, aliud, quam Christum, *vel carnem Christi, esse negare non debetis* quantum ad sensualitatem sacramenti, cum negare non possis, minime afferri ad altare, minime poni in altari vel totum corpus vel portiunculam sensualiter corporis Christi, *quamvis panis et vinum altaris post consecrationem sint corpus Christi et sanguis, quantum ad spiritualitatem* vel rem sacramenti, unde idem b. Augustinus in evangelio: si quis manducaverit ex hoc pane, non morietur, sed quod pertinet, inquit, ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum. Illud praetereo, in quo etiam ipsi tibi *contrarius fuisse* convinceris, quod sacramentum esse astruis visibilem elementorum speciem vel colorem, quem in portiuncula carnis et sanguinis remanere vecorditer asseris, cum subiectum corrumpi non possit *secundum mutationem, quam in altari esse confingis, eo, quod in subiecto sit, manente incorrupto. Impossibile est enim, secundum hanc, ut dixi, mutationem, corrupto subiecto non corrup-* (146) *pi, quod erat in subiecto;* corrupta enim virga Moysi, secundum cuius mutationem tu tibi confingis mutari panem altaris, corrupta constat fuisse ea, quae in virga erant, virgae ipsius constitutiva; unde nulla ratione confingendum tibi fuit, non negare te, duo quaedam esse in altari, sacramentum quidem colorem panis, quo coopertam esse confingis portiunculam carnis, rem sacramenti corpus Christi, quod consecrari minime posse, sed potius consecrare

non nescias, *cum sacramentum non posse fieri quippiam, nisi per consecrationem, non nescias, consecrari autem, quod in subiecto sit, non posse praeter subiectum indissimulabiliter constet* apud eruditionem tuam. Nec minoris erat recordiae maxime in tua eruditione illud, quod scribis, videri oculis corporis id, quod in subiecto sit, subiecto ipso manente invisibili, cum *subiectum, et quod in subiecto est, solus separare valeat intellectus, cum constet cuivis e turba, colorem faciei meae, nisi visa ipsa facie, nullo modo videri posse.* Scripsisti enim, carnem Christi, quam forma panis adopertam ab altari accipias, esse invisibilem, ipsam autem formam, quam aut non esse, excepto, quod ad vim referatur intellectualitatis, aut in subiecta esse constat carnis portiuncula, quam de falsitate cordis tui in altari post consecrationem esse asseris, non dubitasti affirmare esse visibilem. Simul, quanta te recordia deicis, dum portiunculam carnis, quam sensualiter esse in altari scripsisti, et esse invisibilem et eam ipsam tamen esse asseris portiunculam corporis Christi, quod in coelo est, quod visibile esse non negas et palpabile. Si enim portiuncula illa invisibilis est, nec solum, sed et, in quo vehementer desipis, *intelligibilis, corporis illius, quod revera, ut scribis, visibile et palpabile est, portiuncula esse non potest.* Unde b. Augustinus, redarguens Manichaeos, qui stupenda recordia inducebant, Deum partes essentiae suae animas humanas miscuisse genti tenebrarum rebelanti (147) adversum se, si potuistis, inquit, inquit-

nari, si potuistis corrumpi, potuit et Deus; frustum enim et particula naturae ipsius convincit massam, quale esset, quod huc misit, tale esset, quod ibi remansit. Quod autem dico, beati Ambrosii verba te ita debuisse intendere, vide, si non idem, quae in quarto illo sermone secuntur, admoneant. Cum enim dixisset: forma corporis altare est, corpus Christi est in altari, quasi quaereres: ergone in altari est corpus Christi, *quod non est, venturum ab assensu paternae dexteræ nisi ad iudicium*, adiungit b. Ambrosius: venisti ad altare, vidisti sacramenta super altare posita. Cum dicit: vidisti sacramenta, necessario cogaris referre ad oculos corporis, quod ait: vidisti, quia ipse b. Ambrosius in tertio de sacramentis, cum praemisisset de caeco nato, quod primo caecus postea viderit, considera, inquit, ad eum, qui ad altare accederet, et tu oculis cordis tui; videbas, quae corporalia sunt, corporalibus oculis, sed, quae sacramentorum sunt, cordis oculis videre non poteras; tanquam diceret: sicut caecus natus primo secundum corpus caecus, secundum corpus postea est illuminatus, ita et tu, ante regenerationem caecus, per regenerationem secundum cor illuminatus, post baptismum ad altare accedens, considera et tu, sed oculis tui cordis; et cum addidit: quae sacramentorum sunt, oculis cordis, adhuc i. e. infidelis, videre non poteras, profecto demonstravit, ipsa sacramenta videri oculis corporis, unde et ita posuit: videbas profecto ante regenerationem, quae corporalia sunt, i. e. panis et vini subiecta sensualia, corporalibus

oculis. Haec b. Ambrosii verba aptare non poteris ad quodlibet eorum, quae tibi, ipse etiam a te ipso dissentiens, pervertisti, dum alibi appellas sacramentum qualitatem portiunculae carnis, qualis in pane fuerat, quam scriptum tuum post consecrationem esse mentitur in altari, alibi esse confingis, carnem, quae nunc in altari fiat sensualiter per subiecti generationem, sacramentum esse corporis Christi, quod sedet in coelo ad dexteram patris, quia in utroque hoc figmento tuo illam tuam carnis Christi portiunculam invisibilem ipse esse constituis, cum b. Ambrosius atque Augustinus, quod sacramentum dicunt, dicant etiam esse visibile; nec solum visibile, sed etiam mutabile et temporale esse asserit Augustinus, quod sacramentum dicit, quod, i. e. mutabilem et temporalem esse Christi carnem, nulla superbia vel cogitare audebis, quod tamen te scribere minime advertisti, cum scriberes, nichil aliud in altari post consecrationem manu frangi, dente atteri, quam portiunculam carnis Christi, quem apostolus secundum carnem iam non novisse se asserit. Ut autem ad fastidium satis acta repetam, et ultra, quam vadit insania tua, rem persequar, non enim totum Christi corpus tu adesse sensualiter in altari desipis: si quis intendat, *adesse sensualiter in altari totum Christi corpus, contradicit spiritus sanctus per prophetam, qui dicit, sessurum esse, secundum corpus Christum ad dexteram patris, donec ponantur inimici Christi scabellum pedum Christi, quod, quam diu volvuntur tempora, non desinet*

fieri; contradicit etiam per apostolum Petrum, qui in actibus apostolorum ita scribit: *quem coelum oportet suscipere usque in tempora restitutionis omnium*, et per coapostolum eius Paulum, qui de Christo dicit: quem ostendet beatus et solus potens, non quotidie, sed suis temporibus, et illud: expectantes adventum gloriae magni Dei; contradicit et per omnes apostolos, qui fideles instituerunt in simbolo dicere: sedet ad dextram patris, inde venturus iudicare vivos et mortuos. Omitto, quod ipso sit refutandum auditu rationi humanae, quod indignissimum Deo esse facillimum sit cuiquam pervidere, pervincere, quicumque sibi confingit, totum Christi corpus sensualiter adesse, quando celebretur mensa dominica in altari, indissimulabiliter (149) tali figmento suo *millies millies Christi corpus coelo quotidie deici*, quia negari non potest, millies millies quotidie mensam dominicam ab ecclesia celebrari; nichilominus millies millies in coelum revocat quotidie corpus Christi, ludibrio tali millies millies quotidie, quamdiu volvuntur tempora, obnoxium facit corpus Christi, quod constat innegabiliter, quamdiu volvuntur tempora, sessurum esse ad dexteram patris. Nichilominus, qui ita, ut dictum est, de Christi corpore contendit insanire, sententiae contradicit totius ecclesiae; ecclesia enim per totum orbem se gloriatur Christi corpus offerre, unde b. Ambrosius: pontifex ille hostiam nos mundantem obtulit, non aliud sacrificium, sed ipsum semper offerimus. Quibus verbis demonstrat b. Ambrosius, ecclesiam in omnibus mundi partibus offerre

Christi corpus. Ut ergo etiam sic manifesta fiat illius recordia, qui totum Christi corpus contendat adesse post consecrationem sensualiter in altari, ponamus *mille vel quotlibet sacerdotes eodem tempore mensam celebrare dominicam: dum hoc fiet, nullus omnium nisi unus offerre poterit sacrificium Christi, quia nullus praeter unum praesens habere poterit sensualiter corpus Christi.* Unde idem b. Ambrosius in eadem ad Hebraeos epistola: alioquin, quam in multis locis offertur, multi Christi sunt; nequaquam, sed unus *ubique est Christus* et hic plenus existens et illic plenus, quod, i. e. diversis in locis corpus plenum existere, nisi spiritualiter rem fieri concedimus, non est intelligere, quia non est esse. Relinquitur ergo, ut dictum est, quantum ad recordiam eius, qui ita opinetur, adesse in altari sensualiter totum Christi corpus, nullum eorum, qui eodem tempore mensam dominicam celebrant, nisi unum sacerdotem offerre Christi sacrificium, *quia, quod diversis in locis eodem momento sensualiter assit corpus, corpus non esse constabit;* constabit nichilominus, eum, qui opinetur, Christi corpus coelo devocatum adesse sensualiter in altari, ipsum se deicere, (150) quod recordium est, dum confirmat, se manu frangere, dente atterere Christi corpus, quod tamen ipsum negare non possit impassibile esse et incorruptibile. Constabit etiam, eum, qui ita opinetur, Christum, qui veritas est, falsitatis arguere, dum simulat, panem et vinum post consecrationem esse in altari, cum non sit in

eo, nisi ipsius sensualiter corpus. Porro, quod tu partem carnis Christi opinaris adesse sensualiter in altari, ut omittam cetera inconvenientia, *contradictis partim ipse tibi ipsi*, scribis enim, fieri in altari portiunculam carnis per generationem subiecti, sicut factus est serpens, qui nunquam fuerat, de virga Moysi, cum non neges, quicquid in corpore Christi est per mille annos incorruptibiliter existere, unde affirmare non possis, carnem nunc primum factam Christi carnem esse, *partim fidei*, qua catholici omnes impassibile iam et insecabile esse asserunt corpus Christi, unde apostolus dicit: *etsi noveramus Christum secundum carnem, sed iam non nocimus*, et b. Ambrosius in libro de trinitate: Christus iam vulnus sentire non potes, quia portiunculam carnis Christi adesse asseris in altari, quod fieri *non potest, nisi in coelo corpus Christi desecetur*, et desecta de eo particula ad altare submittatur. Postremum insisto, quod insistere potui primum; infiniti est stuporis, quod inducere, *duas Christi esse carnes, non dubitas*; hoc autem facis, dum scribis, carnem Christi, *nunc primum factam per generationem* subiecti, sacramentum esse carnis Christi ante mille et amplius annos existentis; pro eo etiam duas, quod tu ipse Christi carnem, quam confingis sacramentum esse, *invisibilem, intelligibilem, spiritualem esse* non dubitas vecorditer affirmare, corpus autem Christi, quod in coelo est, cuius corporis carnem hanc, quam adesse scribis sensualiter in altari, sacramentum esse confingis, non neges esse *visibile*

atque palpabile; in qua re tu tibi suffugium facis et dicis, tolerabile esse, quod *carnem Christi sacramentum esse dicas carnis Christi*, quia Christus (151) non inconvenienter sacramentum Christi esse dicatur. Hoc quidem sicut de nulla veritate, ita de nulla habuisti auctoritate, sed et si in aliquem tractatum incidisti, unde tibi visum sit, de scripto vel de sententia huiusmodi facere inductionem, minime tamen valet ad id, ad quod eam tibi sumendam praesumpsisti. Inductiones enim paria paribus afferre oportuit, sed tu a se longe disparia, quomodo non oportuit, conferre voluisti; caro enim, quod putas, Christi, quam fieri per generationem subiecti de pane, i. e. nunc incipere esse, fingis in altari, quamque sacramentum appellas corporis, quod in coelo est, Christi, et corpus, illud Christi, quod in coelo est, quodque per mille iam annos incorruptibiliter existere negare non audes, quam vere duo quaedam sint, dissimulare non poteris; disparia autem esse nemo etiam vecors negabit; carnem, quae nunc per generationem subiecti esse incipiat sitque corruptioni obnoxia, quam tu, cum eam non neges tractabilem atque frangibilem, stupenda tamen vecordia invisibilem, sicut superius posui, intelligibilem appellare non dubitas, et corpus Christi, quod per mille iam annos incorruptibiliter existit, quodque tu palpabile esse non negas atque visibile. Iure autem scripsi: *stupenda vecordia, quia novit eruditio tua, subiectum, et quod sit in subiecto solo intellectu, discerni, ita, ut subiectum non habeat, ut sit,*

ab eo, quod est in subiecto eo, quod autem in subiecto est, pro eo dicatur in subiecto esse, quod a subiecto habeat, ut sit. Unde ignorare non potes, colorem, vel quodcunque in subiecto sit, cum a se non habeat, ut sit, nulla ratione, ut oculis corporis videatur, a se habere. Tu autem scripsisti, carnem et sanguinem, quae in altari fiant de pane et vino per generationem subiecti, colorem panis retinere, et, ut verba tua ponam, quasdam alias qualitates panis (152) et vini, nec dubitasti confirmare, ea, quae esse non negas in subiectis, nunc a Deo, quod putas, factis in altari per generationem sui, in portiuncula, dico, carnis et sanguinis, videri oculis corporis, carnem autem et sanguinem altaris, in quibus, sicut in subiectis, species panis et vini, i. e. colores vel quaevis accidentia a Deo confingis collocata, minime videri oculis corporis. Plane eruditionem non potest latere tuam, non minori quid tale confirmari vecordia, quam confirmari, videri oculis corporis colorem vel corrugationem frontis tuae, ipsa fronte tua manente invisibili; nec negare poteris, minime alborem, ruborem, vel quaecunque eiusmodi, sed album et rubeum oculis videri corporeis. Non minus incomparabile esse putare debuisti, quod Christus dominus, una de Deo et homine persona, aliquid se facturum postea quocunque modo admonuit. Si enim Christus dominus discipulos illos duos, quod tamen non intelligerent, vel verbis vel gestu aliquo, in coelum se ascensurum esse praemonuit, quae vecordia est, Christum pro eo consti-

tuere esse sacramentum Christi, cum duos constituere Christos non possis, duo autem esse non neges sacramentum et rem sacramenti, maxime tu, qui insanis, portiunculam carnis Christi incipere nunc esse in altari, eamque esse sacramentum corporis, quod in coelo est, Christi, quod per mille iam annos extitisse negare non possis? Qua ratione illud conferri potuit ad sacramentum et rem sacramenti, quae, ut omittam, recte de eis sentientes, tu ipse tanta a se disparitate, ut alterum invisibile, alterum dicas visibile, removisti? Secundum hoc b. Augustinus, tunc, inquit, venturus erat Christus, modo venit. Venturus, et: venit, diversa verba sunt, sed idem Christus, idem autem esse numero carnem, quam in altari manu tenes, dente atteris secundum figmentum cordis tui, et corpus, quod in coelo est, Christi impassibile, affirmare non poteris. (153) Non minus idem Christus, modo non ascendens, postmodum ascensurus; negavit Christus, cum ad hospitium invitaretur, se viam fuisse, quod cur diceret, nescierunt, et pro eo confingendum erat, Christum Christi esse sacramentum? Negavit etiam, non quidem ascensurum se ad diem festum, sed sic ascensurum, quomodo adhortabantur illi, ad comparandam sibi gloriam mundi, et hoc per appositum pronomen determinavit, dicens: ego non ascendam ad diem festum istum: nunquid, quia negando, se ascensurum isto modo, intelligendum reliquit, si non defuisset intellectus, se ascensurum esse alio modo, confingendum est, Christum non ascensurum illo modo, sa-

cramentum esse ascensuri, sed alio modo, Christi? **B.** Ambrosius manifeste sentiens contra te, qui, quod sacramentum dicis, dicis etiam esse invisibile, vidisti, inquit, sacramenta super altare posita. Dicens: vidisti sacramenta, minime, quae sacramenta sint, videri posse negavit; quod autem tibi ipse confingis, carnem, quae nunc in altari fiat per generationem subiecti, sacramentum esse corporis, quod in coelo est, Christi, non minus excludens **b.** Ambrosius, cum dixisset: vidisti sacramenta super altare posita, addidit: et ipsam miratus es creaturam, creatura tamen solennis et nota. Si enim tecum sensisset, immo potius desipuisset, putans, non esse post consecrationem in altari nisi portiunculam carnis, portiunculam sanguinis, non diceret: ipsam miratus es creaturam, quod per omnes pene suos de misteriis vel de sacramentis sermones ad contemptum accipi oportere manifestat **b.** Ambrosius secundum illum Naaman, qui contemptui habuit Iordanis aquas. Unde et in isto IV. sermone suo, postquam dixit: miratus es creaturam, continuo addidit **b.** Ambrosius: quasi aliquis dixerit: Iudaeis Deus tanta praestitit, quid (154^a) plus dedit his, quibus plus promisit? Revera si tecum sensisset, putans, non esse post consecrationem in altari, nisi portiunculam carnis Christi, nichil, quod Iudaeis datum sit, magnum habere potuisset ad comparisonem carnis, quam sibi in utero virginis sapientia Dei fabricavit, et quod addidit: creatura tamen solennis, minime addidisset, si secundum figmentum cordis tui carnem Christi

sensualiter adesse in altari putavisset, quia nichil insolentius in genere humano contigit, quam verbum Deum hominem fieri, nichil ignotius, quam carnem sine commixtione viri de virgine generari. Re ergo vera in quarto isto de sacramentis sermone in quo pro te facere b. Ambrosium putavisti, sententiam contra te dedit b. Ambrosius, et videri oculis corporis sacramenta altaris, et ea esse subiecta panis et vini, quae, quia divina munificentia abundant et communia sunt humano generi, possint aliquando ad contemptum admirationi haberi, sicut ad contemptum admiratus est Naaman, iussisse prophetam, ut immergeretur aquis Iordanis, quod cogitaret, Damascum aquas habere non inferiores Iordane. In eodem quarto de misteriis sermone b. Ambrosius, contra te se sentire demonstrans, cum dixisset: panem et vinum obtulit Abrahae Melchisedhec, et quasi cogens te, non dissimulare a panis et vini proprietate, quis, inquit, habuit panem et vinum? Abraham non habuit, sed quis habuit? Melchisedhec. Ipse ergo, inquit, auctor sacramentorum fuit, quod, i. e. sacramentorum altaris fuisse auctorem Melchisedhec, falsissime beatus Ambrosius scribit, si carnem Christi et sanguinem, quae per mille a Melchisedec annos nondum fuerunt, sacramenta esse putavit corporis Christi et sanguinis; et paulo inferius, tibi et omni scripturae (154^b) perversori pervertendi occasionem auferens, intellige, inquit ad eum, qui communicaret mensae dominicae, quod post consecrationem panis et vini fieri non negabis, sacramenta haec,

quae accipis, anteriora esse, quam sint Moysi sacramenta. Cum dicit, sacramenta haec, quae accipis, anteriora esse, necessario ad nichilum duxit, quod tu tibi cónfingis, subversa panis substantia, carnis Christi portiunculam, quam sacramentum corporis, quod in coelo est, appellare non dubitas, fideles accipere ab altari, quia, quotacunque sit portiuncula in corpore Christi, posterior sit necesse est sacramentis Moysi, et quam in altari constituis carnem, cum corruptioni sit obnoxia, (manu enim frangitur, dente atteritur) de Christi corpore, quod non est datum post mortem videre corruptionem, necesse est non esse. Frustum enim cuiuscunque incorruptibilis, si incorruptibilis frustum esse conceditur, incorruptibile, sicut et corruptibilis corruptibile esse, necessario non negabis. Paulo inferius ad ulteriorem de panis et vini subiectis inculcationem b. Ambrosius, panem ergo, inquit, et vinum obtulit Melchisedech: tanquam diceret: panem et vinum de altari accipis sacramenta, et iure ea ego anteriora esse dico, quam sint Moysi sacramenta, quia anterior Moyse panem et vinum obtulit Melchisedhec. In sequentibus eiusdem quarti sermonis, stupendum est nimis, non attendisse vigilantiam tuam, quam vere sibi constet b. Ambrosius de proprietate panis et vini minime per subiecti corruptionem absumpta. Ait enim: forte tu dices: meus panis est usitatus, sed panis iste panis est ante verba sacramentorum, ubi accesserit consecratio, de pane fit Christi caro; hoc igitur astruamus, quomodo potest, qui panis est, corpus esse

Christi. His au- (155) ditis habendum est in memoria, unde dissimulare non possis, beatum Ambrosium in his de misteriis vel de sacramentis sermonibus de consecrato iam pane auditores suos, ad obiciendum sibi aliquid, exsuscitare; unde, quod hic dicit obiector: meus panis est usitatus, de pane sancto, qui iam per consecrationem est Christi corpus, accipi necesse est oportere, nec correxisse b. Ambrosium, quod obiector dixerat: meus panis, ut diceret: quod dicis: meus panis, non te oportuit dicere: meus panis, sed meus, quod videtur, quamquam minime sit panis; non refellendo enim hanc obiectionis partem concessit. Sequitur: sed panis iste panis est ante verba sacramentorum, ubi accedit consecratio, de pane fit Christi caro; tanquam diceret: quod de altari accipis, non nego panem esse, sed affirmo non solum, sed de pane per consecrationem in corpus Christi promotum panem esse; ante verba sacramentorum: i. e., antequam adhiberentur rebus exterioribus, pani et vino, verba, quibus consecrarentur. Unde etiam b. Augustinus de baptismo agens, quid est, inquit, aqua, nisi elementum? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum, et beatus Ambrosius in primo de misteriis sermone cum de baptismo ageret, vidisti, inquit, aquas, sed non solas. Ista non attendentes, qui sanam doctrinam, ut ait apostolus, tecum non sustinent et ad fabulas convertuntur, insurgunt, b. Ambrosium pro vulgi ineptia, in loco isto de sacramentis quarti sermonis, ferre sententiam opinantes, sed lux in tenebris lucet et tenebrae

eam non comprehenderunt. Non enim legunt, qui ita opinantur, secundum quod praescribit ipse b. Ambrosius, dicens: vide distinctiones singulorumque verborum proprietates; perpendendum enim tibi est, quod dicit: de pane fit caro (156) Christi, et ex vi verborum, quae praecedunt: ubi accesserit consecratio, quod ita dicens necessario te cogit b. Ambrosius, attendere non solum, quod accedit, sed et illud, cui accedit; unde idem ipse de baptismo agens, aliud est, inquit, elementum, aliud consecratio, et de similiter dictis auctoris eiusdem vel aliorum. Sicut enim hic scripsit: de pane fit caro Christi, ita in sequentibus, de malo, inquit, servo factus est bonus filius; et sicut ibi putandum non est, absumpta esse per corruptionem subiecti corpus vel animam servi, qui factus est filius, ita nec hic putandum est, deperisse panem per subiecti corruptionem. Non dissimile illud est, quod totiens dicitur: de Saulo factus est Paulus, quod revera non nisi manente subiecto tam animae quam corporis fieri potuit. Ut autem omittamus, quae in hoc loco quarti sermonis praecedunt, ut dixi, quae ita ponit b. Ambrosius: ubi accesserit consecratio, de pane fit Christi caro, attendenda tibi fuerant, quae secuntur, cum dicit beatus Ambrosius: hoc igitur astruamus, quomodo, qui panis est, potest esse corpus Christi. Non enim dixit, quod omnino dixisset, si tecum desipuisset: quomodo desinat esse, qui fuerat panis, et stupendae vecordiae fuit maxime in te, cui tantam peritiam scriptum tuum tribuere non desistit, cogitare, quod putaverit, absumptum

esse in altari panem per corruptionem subiecti, ille, qui dicere potuit: qui panis est; quod de consecrato iam pane eum dixisse negari non poterit. Hoc si tibi videtur inconstantius, attende diligentius, quae inferius apponit b. Ambrosius, dicens: ubi venit, ut conficiatur venerabile sacramentum. Hoc enim auctore beato Ambrosio ita legere coges: ubi venit ad hoc, ut panis suscepta consecratione non desinat esse panis, sed incipiat ipse panis esse sacramentum altaris. Sacramenta enim se appellare panem (157) et vinum suscepta consecratione, panem, inquam, et vinum, quae dicantur panis et vinum non tropica, sed propria locutione, et non, sicut tu tibi mentiris, (mentita est enim iniquitas sibi) portiunculam carnis et sanguinis, quae panem et vinum, sed tropice, liceat appellari, indissimulabiliter manifestavit ipse b. Ambrosius et ubi dixit: panem et vinum Melchisedhec habuit, sacramentorum altaris auctor Melchisedhec fuit, et in hoc ipso quarto sermone suo, cum dicit: ergo intellige, sacramenta haec, quae accipis, anteriora esse sacramentis Moysi. Nec minus intendit hoc etiam ipsa vis verbi, quod est: confici, in eo quod consequenter addit: et sermo Christi hoc conficit sacramentum, ut quasi digito demonstrat, ipsum confici esse sacramenti, quia res visibiles, panis et vinum, per consecrationem accipiunt, ut cum eo, quod nascuntur, sicut dicit b. Augustinus, alimenta refectionis, fiant etiam sacramenta religionis. Unde idem beatus Augustinus, quid est, inquit, aqua, nisi elementum? Accedit verbum, et

fit sacramentum. Eisdem verbis b. Ambrosius in hoc quarto sermone suo, ubi accesserit, inquit, consecratio, de pane fit Christi caro, ut, sicut accedente ad elementum, quod est aqua, verbo, superest aqua, ita, accedente ad panem consecratione, non putes, panem consecrari, esse, per subiecti corruptionem panem absumi. Consecratio autem vel consecrari subiectum non est, sed in subiecto, nec tantum derogabitur Christo domino, ut non potius consecret, sed adhuc consecratione indigeat Christi caro. Ne et hoc pervertere attemptet aliquis, b. Ambrosius his, quae secuntur, antevenit dicens: si operatorius est Christi sermo, ut inciperent esse, quae non erant, quanto magis operatorius est, ut sint, quae erant, et in aliud commutentur? Quis nimia superbia vel invidentia coecatus a tanta luce dissimulet? Ut sint, inquit, quae erant; non ait, quod erant, quod quaecumque perversoribus faceret locum (diceret enim aliquis, etsi (158) inconstantissime: virga Moysi in serpente de se facto fuit, quod erat, quia virga substantia et serpens substantia) sed ait, quasi personaliter, quae erant. Nec deerant b. Ambrosio verba, quibus diceret, si tecum desipuisset: quanto magis operatorius est, ut desinant esse, quae fuerant? Quantum enim ad vecordiam tuam, ita ex opposito dicendum fuerat: sermo, qui operatorius fuit, ut inciperent esse, quae non erant, operatorius est, ut desinant esse, quae fuerant; tantum, si ita dixisset, apponere: quanto magis, non debuisset; aequaliter enim Deo indifficile fuit, et, quae nondum fuerant,

facere, et iam facta absumere. In his b. Ambrosii verbis, quibus dicit: ut sint, quae erant, tu subaudiendum esse confingis: specie, ut ita legatur: quanto magis operatorius est, ut sint, subauditur: specie; sed in hoc ex ore tuo te condempno. Qui enim contra me scribit, nichil taliter expositum a b. Ambrosio posse uspiam inveniri, cavere tibi debuisti, ne similiter tibi ego et iure multo magis opponerem: invenire non poteris in omnibus, quae scripsit Ambrosius, quod ita subaudiendum esse in hac mutatione panis et vini praescripserit, et vae prophetis, qui prophetant de corde suo! Quod enim tu legendum ita constituis, ut subaudiatur: specie, ut ita legat quis, ut sint specie, quae erant, neque de veritate, neque de auctoritate habuisti; veritas enim hoc habet, unde superius satis egi: *omne compactum ex materia et forma aliud esse in eo, quod est, aliud in eo, quod aliquid est, nec posse aliquid esse, si contigerit, ipsum non esse, i. e. quod secundum subiectum non sit, minime posse secundum accidens esse;* unde si, secundum quod tu de corde tuo scribis, panem altaris contingat per subiecti corruptionem absumptum post consecrationem iam non esse secundum (159) subiectum individuum panem, qui positus fuerat, constat *omnino, panem ipsum minime esse secundum aliquod accidentium suorum*, quae, quia non alibi, quam in ipso, erant, eo per subiecti absumptionem ablato, nulla ratione non sublata esse potuerunt; nec satis, qui te eruditum habeat, mirari poterit, quod ab erudito tam

longe esse potuisti, ut putares, subaudiendum esse: specie, ubi scribit b. Ambrosius: ut sint, quae erant, quia, si tecum sensisset Ambrosius: multo magis operatorius est, dicere non potuisset; (vecordia enim tua in eo est, ut subiectum panis per consecrationem absumptum esse desierit, nec operatoria est etiam ipsa Dei omnipotentia, ut sit vel secundum subiectum suum, vel secundum quod in subiecto eo erat, quod revera iam non sit, sicut nec operatoria erat, ut essent, quamdiu nondum erant, quae nondum esse inceperant; non enim vel multo magis, vel multo minus, sed indifferenter omnino et non sunt, quae nondum esse coeperunt, et non sunt, quae iam esse desierunt; multo autem magis praesto est rationi humanae, attendere, facilius esse, facere aliquid de aliquo, quam facere aliquid de nichilo, atque eo dicendi genere accipiendum est, quod dicit Ambrosius: multo magis operatorius est, quantum enim ad Deum indifferenter se habet, et facere aliquid de aliquo, et facere aliquid de nichilo) et quia, si tecum erravisset, non: quae erant, dixisset, sed: *qualia* erant, et, ut dixi, quia, ut verbis tuis agam, si panis et vinum a pristinis essentiis absumpta defecerunt, nulla, quae in subiectis eis fuissent, superesse potuerunt, carni autem, quam in altari Deum facere opinaris per generationem subiecti, facile erat Deo, si ita se res haberet, apponere accidentia eadem his, quae prius in pani fuissent, et ita dici posse, non panem esse specie, sed potius carnem a Deo per subiecti generationem nunc factam, datis ei, qualia in pane

fuerant, accidentibus, colore et accidentium paritate panem esse. Constatque consuetudine dicendi et ratione comparabilitatis, si quis mores rigidi Catonis insistat, dici oportere, istum moribus Catonem esse, non Catonem, qui minime supersit, moribus vel colore istum esse. Et ut planius fiat, nominatim duo proponantur: Cato rebus humanis exemptus, Brutus Catonis imitator superstes adhuc, et uterque calvus. Assolentissimum est et ratum, dicere: Brutus est Cato calvitie; Cato est Brutus calvitie, nec assolens, nec ratum est dicere. Ita profecto contra eruditionem tuam fuit nimium, quod scripsisti, ut sint, subauditur: specie, panis et vinum, quae negas, ut verbis tuis agam, in pristinis essentiis remansisse, quia, quod suo subiecto non est, eo, quod in subiecto eo erat, non potest (160) esse. Verbi gratia: non superest Socrates in eo, quod Socrates fuit, nulla modo superest in eo, quod calvus ipse fuit. Simul si ita scripsisset b. Ambrosius: operatorius est, ut sint specie, quae erant, et non subaudiendum, (quod stultissimum de eo opinaris) reliquisset: specie, etiam sic dicta panem tibi non permetterent auferre de mensa dominica. Si enim ita b. Ambrosius diceret, necessario cogereris, adhibere casum congruum personae verbi, quod est: sint, necessario cogereris, non negare, cum diceret: ut sint specie, quae erant, ita legendum esse: ut sint ea, quae erant, i. e. panis et vinum, et cum ita legeres, constaret, auctore Ambrosio, panem non deesse sacrificio ecclesiae. Ponamus enim, ita dicere aliquem: iste eloquentia

Tullius est, ille Catilina improbitate; sicut constat, his auditis, Tullium atque Catilinam prae oculis non constituere, ita constabit omnino, istum atque illum non esse absumptos, quia, sicut dixi, omne, quod ipsum non sit, non poterit esse aliquid, omne, quod subiecto non sit, colore vel accidente aliquo esse non poterit; quodsi constituas, vivente Tullio atque Catilina, de contemporalibus dicere aliquem verbi gratia: Laelius est facundia Tullius, Cetegus improbitate Catilina, etiam sic Laelium esse constabit atque Cetegum, nec tantum Laelium, sed sicut constabit, Laelium Laelium esse persona, ita constabit etiam, ipsum Laelium esse Ciceronem non persona, sed facundia, si verum sit, Laelium, qui erat, se de infacundia studio mutavisse in facundiam, faciente eo, qui, sicut potuit facere, ut inciperent esse, quae non erant, ita potuit facere, ut sibi constaret Laelius, qui erat, et mutaretur in Ciceronem, quem infacundus non erat. Concedamus adhuc, quae diximus, adnullasse te omnia, quo tibi exciderat eruditio tua, cum legeres, quod consequenter ponit b. Ambrosius in quarto hoc de miste- (161) riis, quem pro te facere opinabaris, sermone? Ait enim: *ut ergo tibi respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, sed post consecrationem dico tibi, quia iam est corpus Christi, et apponit: ipse dixit, et factum est, ipse mandavit, et creatum est, quasi diceret: si non sufficis, quod dico, panis, quem accipis, corpus Christi est, ratione comprehendere, cede*

auctoritati meae, qui tibi denuncio, ita esse, per verba, quibus propheta confirmat de rerum institutione prima: ipse dixit, et facta sunt, ipse mandavit, et creata sunt; attendens in infinitum alia, cede auctoritati, si ad rationem non sufficis. Ut tibi, inquit, respondeam; quasi diceret: obieceras mihi, pani, qui patribus in deserto datus est, deberi admirationem, quia per miraculum insolentissime datus est, panis autem meus, i. e. panis, quem ego de mensa dominica accipio, (unum enim pro omnibus sibi obicere instituit b. Ambrosius) panis, inquit, meus est usitatus, de agro in horreum, de horreo venit in pistrinum, de pistrino ad communem vel dominicam mensam; quid huic admirationis debeo? Ut obiectioni, inquit b. Ambrosius, tuae respondeam, non erat corpus Christi ante consecrationem, post consecrationem dico tibi, quia iam est corpus Christi. Quis ita dictis attemptet quicquam tenebrarum offundere? Quis negare contendat, antequam celebretur hoc tempore mensa dominica, Christi corpus per mille iam annos extitisse? Quis vecordissimus opinetur, Christi corpus, quod esse salvatricem vivificatricemque substantiam in epistola ad Hebraeos testatur b. Ambrosius, (eo enim consecramur et vivificamur *adhuc*) consecratione indigere, cum dicat et apostolus: etsi novimus Christum secundum carnem, sed iam non novimus? In evidenti res est; quoquo verba convolvat, luce clarius b. Ambrosii sententia eminet. (162) Omnino si vis legere, ut intelligas, ad quod te adhortatur spiritus sanctus dicens: qui legit, in-

telligat, ita leges, quod scribit b. Ambrosius: non erat corpus Christi ante consecrationem, ut verbis suppleas, quod non potest non habere sententia, et nomen, quod est panis, subaudias, et ita b. Ambrosium obiectori suo respondisse attendas: ut tibi ergo respondeam, non erat panis, de quo mihi obieceras: meus panis est usitatus, panis, inquam, quem accipiebas de mensa dominica, panis, quem videns tanti habendum esse mirabar, ut te hunc non indigne accipientem corpus Christi accipere astruerem, non erat corpus Christi ante consecrationem, consecrationem, inquam, non corporis Christi, quod consecratione non indiget, sed fideles potius consecrat, sed consecrationem panis, quem usitatum dicebas, suam, i. e. panis, de quo consecrato mihi obieciebas: antequam consecratur, i. e. quamdiu est panis inconsecratus, panis communis, qualem avibus, qualem piscibus, qualem pecudibus proicis, non est corpus Christi, post consecrationem autem, inquit b. Ambrosius (cum dicit consecrationem, attendere cogaris, velis nolis, cuius consecrationem, nec confingere potes, nisi panis consecrationem, ut totum ita constet) post consecrationem autem panis ipsius suam dico tibi, quia iam est corpus Christi ipse panis. Ita legendum est, ut dico; non est, quo te vertas, non est, quo fugias; id exigit etiam vis adverbii, quod non sine causa apponit: iam: post consecrationem, i. e. non absumptus per corruptionem subiecti, sed consecratus corpus Christi est panis ipse iam, i. e. quod ante non erat; nec convincere poteris, adesse con-

secrationem, ubi consecratum auferas, cum omne, quod in subiecto est, sine subiecto, in quo est, esse non posse non nescias. Ad quod vide, necessario cogeris, quam constanter te b. Ambrosius proposita consequenter inductione (163) astringat, tu ipse, inquiens, eras, sed eras vetus creatura, postquam consecratus es, nova creatura factus es; quam tu inductionem, cum b. Ambrosii dicta, inductionem ipsam proxime praeceuntia, scripto insereres tuo, sacrilega fraude noluisti in medium deducere, quia inductio haec vel sola totum, de quo agebatur, conficiebat negotium. Ad illud enim, quod praemiserat b. Ambrosius in mutatione panis et vini: ut sint, quae erant, in inductione sua reddidit: vetus creatura eras tanquam diceret: si absumpta putas materialiter per subiecti corruptionem panem et vinum, de quorum mutatione praemisi: ut sint, quae erant, absumptum quoque te per subiectum puta, de quo dico: vetus creatura eras; si consecrato per baptismum tibi deest hominis corpus et anima, deerit auctore Ambrosio mensae dominicae post consecrationem panis et vini sensualis materia. Ut autem longius faciam, in primo huius operis sermone de sacramento corporis Christi tractans b. Ambrosius diversi generis mutationum exempla proposuit. Est enim *mutari aliquid per corruptionem subiecti*, ut generetur aliud aliquid, qualis virgae in serpentem, serpentis mutatio in virgam fuit; est mutatio, in qua, *quae mutantur, superesse contingit*, sicut superfuerunt Iordanica fluentia et fluctus Marini. Propter exem-

plum ergo virgae, in serpentem mutatae, et quorundam per subiecti absumptionem similiter mutatorum, quae b. Ambrosius adhibuit, ut ab alio assensum pararet ad aliud, non ut eiusdem mutationis haberentur, videtur Lanfranno, sensisse b. Ambrosium, ita mutari panem in corpus Christi, sicut virgam in serpentem vis divina mutavit, quod alicui videri potuisse stupendum nimis fuit, primo, quia absurdissimum erat, sicut saepe dixi, ita opinari, quia non de diversissimis (164) idem iudicium ferri oportuit, diversissimum autem est, quod de virga agitur et de pane altaris; virga enim Moysi sola extabat, serpens de ea futurus nunquam extiterat, *panis vero altaris existit, existit nichilominus corpus Christi*; deinde, ne quid tale maxime tu opinareris, in hoc quarto sermone suo quantopere b. Ambrosius admonere vigilantiam tuam debuit! In hoc enim quarto sermone idem ipsum tractans, quod tractat in aliis, in quibus exempla proposuit mutationis eius, quae fit per absumptionem subiecti, illius solius mutationis exempla proposuit, in qua superfuisse constet indissimulabiliter, quae mutata fuerint, nec contra se ipsum tantum fecisse in hoc quarto sermone suo putari b. Ambrosius debuit, ut de mutatione panis et vini mensae dominicae in quarto isto sermone suo agens, si eam per subiecti absumptionem fieri putabat, alienae ab ea mutatione mutationis exempla proponeret, et, quae eiusdem esse cogitaret mutationis exempla, de medio submoveret. In aliis enim utriusque generis mutationis, et eius, quae fit

non absumpto subiecto, et eius, quae fit per absumptionem subiecti, exempla proposuit, in hoc autem quarto sermone suo sola illa mutata in medium duxit, quae, ut verbis tuis agam, in pristinis, etiam mutata, manserunt essentiis. Possum, si in emensum res non eat, secundum indissimulabilem de minime absumpto vino veritatem, quae ad calicem pertinent b. Ambrosii scripta insistere, sicut ipse legendum, ut intelligat quis, esse praescribit, dicens: vide distinctiones singulorumque verborum proprietates. Illud omittere non debui, quamquam vix expectem aliquem, cui mora et lima nimia in legendo futura non sit, quod b. Ambrosius consequenter adiungit, (165) exsuscitans auditorem suum, ut vigilanter quaerat etiam de sacramento sanguinis, qui de sacramento corporis: meus panis est usitatus, obicere non dubitavit; haec enim etiam obiectio contra errantes de mensa dominica irrevincibiliter facit. Forte, inquit, dices: speciem sanguinis non video. Videndum etiam hic, quid obiectori suo non refellendo concesserit; illud plane, quod minime videat communicans mensae dominicae speciem sanguinis in calice; alioquin dixisset, si cum vulgo, sicut tu, ineptisset: quod dicis, speciem sanguinis non video, rectius diceres: non michi videre videor. Si enim nichil est in calice post consecrationem, nisi sanguis, quod negat b. Ambrosio obiector suus, dicens: speciem sanguinis non video, expositum est autem, quod in calice est, tactui, gustui, olfactui, constat necessario secundum vecordiam tuam, aut nichil, aut sanguinem,

quod ipse tamen contra te ipsum pernegas, in calice videri. Respondens ergo b. Ambrosius, sed habet, inquit, similitudinem, quasi diceret: non nego, te speciem sanguinis minime videre, quia revera vinum est, quod vides oculis corporis in calice, sed non solum, sicut dicit ipse b. Ambrosius de baptismo agens: vidisti aquas, sed non solas, quia, sicut dicit b. Augustinus contra Faustum, vinum, quod erat ante consecrationem alimentum refectionis, post consecrationem est non solum alimentum refectionis, sed etiam sacramentum religionis. Ad hoc te trahit, velis nolis, vis adversativae coniunctionis: sed; quasi diceret obiectori suo beatus Ambrosius: tu dicis, non videre te speciem sanguinis, nec illud ego te videre dico, sed *similitudinem*, ubi, velis nolis, subaudire cogaris: sanguinis, ut ita totum constet: non vides sanguinem, sed sanguinis similitudinem; quia, quod secundum tractatum hunc sacramentum dicitur, similitudo est rei, cuius sacramentum est. Hoc autem b. Ambrosii (166) dictum ita pervertit Pascasius Corbeiensis monachus, ut dicat, subaudiri oportere: vini, cum dicit b. Ambrosius: sed habet similitudinem. In quo loco quarti de sacramentis prorsus lapides cum Lanfranno et Pascasio tollunt et in omnipotentem veritatem, se ipsos potius confossuri, vecordes homines iaciunt, putantes, b. Ambrosium in eo, quod posuit: sed habet similitudinem, constituisse, minime superesse vinum in mensa dominica secundum subiectum, secundum materiale proprietatem, sed secundum accidens, adesse autem

in altari cruorem secundum materialem proprietatem, sed occultari oculis corporis, ne secundum eorum contuitum habeatur horrore. Hoc totum usque eo contra est, ut omne, quod est secundum subiectum et secundum id, quod est in subiecto, si absumatur, secundum quod ipsum erat, nullo modo supersit, secundum quod aliquid erat, unde superius nimium egi, et ut proprium sit homini, in honore posito, i. e. intellectu praedito, etiam si oculis corporis careat, primo et maxime secundum intellectum ad omne flagitiosum vel facinorosum horrere, cum recordes isti ita de contuitu corporei oculi agant, ut, sublato illo, desinat quid haberi horrore, et ut b. Ambrosius verba posuerit manifesta, et, si quid minus hic dixit, totum in sequenti suppleverit. Obiectorem suum inducit dicentem: speciem sanguinis non video; ubi speciem pro proprietate sanguinis, i. e. pro cruore accipere cogis, et minime, quod obiectum fuerat, refellit, tanquam dicat: verum est, quod dicis, cruorem te non videre in calice, unde merito horreas, sed habet calix similitudinem, ubi necessarium habes subaudire: sanguinis, ut dicas: sed habet similitudinem sanguinis. Nec per- (167) mittit subaudiri: vini, iunctura verborum eius, qui obiectionem facit; praemittit enim obiecto: speciem sanguinis non video. Obiectori consentit b. Ambrosius, quod minime videat cruorem in calice, et quid videat in calice, cum non videat in eo cruorem non tacens, non habet, inquit, calix speciem sanguinis, sed habet similitudinem, et repetendum est necessario: sanguinis, ut

ita totum constet: speciem sanguinis non habet calix, sed habet similitudinem sanguinis, i. e. vinum factum sacramentum ipsius sanguinis; tanquam diceret: si tibi auctor salutis usum cruoris humani sensualiter indiceret, quasi flagitium vel facinus merito perhorreret, horreret autem, non secundum quod desipit Lanfrannus atque Pascasius Corbeiensis monachus, quantum ad solum contuitum oculorum, sed quantum etiam ad quemcunque sensum corporeum, et maxime et primo, quantum ad interioris hominis decus, ad intellectualitatis contuitum, ubi primum locum habet omnis appetitus vel horror et maximum. Sicut propositus tibi est Christi domini sanguis, sed non sensualiter, ut laveris, ita propositus est, sed non sensualiter, etiam ut poteris; haec si dominus Deus tuus secundum exteriorem hominem facienda tibi sensualiter institueret, primo et capitaliter secundum intellectualitatis dignitatem merito exhorreret, sed nichil tibi propositum est, quod iure possit esse horrore. Exigit a te Christus dominus, *ut credas, misericordissima erga* humanum genus affectione esse factum, quod sanguinem fudit et ita credendo sanguinem eius ab omni peccato laveris; exigit, ut ipsum eundem Christi sanguinem semper *in memoria* habens, in eo, quasi in viatico ad conficiendum vitae huius iter, interioris tui vitam constituas, sicut exterioris tui vitam in exterioribus constituis cibus (168) et potibus. Nichil horrore, nisi Naaman esse malis, qui primo Iordanis aquas contemptui habuit, nichil horum dignum putare poteris

aspersione. Exigit etiam, ut *intus credens*, quod sic Deus dilexit mundum, ut unigenitum suum daret propiciationem pro peccatis, etiam exterius in hoc elementum aquae immergaris, et ita tibi Christi mortem effigies per elementum aquae, per rem exteriorem, dum in eam quasi occidendus immergaris, dum de ea, quasi vivificandus extraharis: (eiusmodi enim mors Christi fuit, ut secundum corpus moriens, secundum animam, secundum deitatem immunis maneret a morte;) *exigit, ut per comestionem et bibitionem corporalem, quae fit per res exteriores, per panem et vinum, commonefacias te spirituualis comestionis et bibitionis, quae fit in mente de Christi carne et sanguine*, dum te reficis in interiore tuo incarnatione verbi et passione, ut secundum humilitatem, per quam verbum caro factum est, et secundum patientiam, per quam sanguinem fudit, interioris tui vitam instituas, quanta debes, humilitate, quanta debes, emineas patientia, ut in eis tibi adquiescas, in eis tibi adgaudeas, sicut in exteriore tuo in cibis tibi et potibus adquiescis. Non est item in his, cur dedigneris immergi in aquam ad placitum auctoris aquae, sicut Naaman, non est cur a comedendo pane et bibendo vino abhorreas, quia est, ut dicit b. Ambrosius in hoc ipso de sacramentis tractatu, creatura solennis et nota. Inductionem etiam faciens a lavatione, quae fit in regeneratione per sanguinem Christi ad refectionem altaris, sicut, inquit, *similitudinem mortis sumpsisti, ita similitudinem preciosi sanguinis bibis*,

ut nullus horror cruoris sit; quasi dicat: quod dico: bibis, *determino tibi modum bibitionis*; ita, inquam, bibis, ut nullus horror cruoris sit, qui non esse non posset, si non dicam: domini tui, sed cuius (169¹) et non videntur, ita nichilominus et in sacramentis refectionis est, quod videas oculis corporis, et, quod videas oculis cordis. Unde ipse b. Ambrosius in tertio de sacramentis sermone, de sacramentis agens altaris, venire, inquit, habes ad altare, videre habes, quae ante non videbas, et explanatius in sequentibus: videbas, inquit, quae corporalia sunt, corporalibus oculis, sed quae sacramentorum sunt, cordis oculis adhuc videre non poteris, manifeste constituens, esse corporale in altari, quod videatur oculis corporis, ac per hoc figmentum illud tuum omnino destruens, quo confirmare non dubitas, esse portiunculam carnis in altari, quae dicenda sit sacramentum corporis, quod in coelo est, Christi, eamque ipsam non tacuisti esse invisibilem, intelligibilem, cum legeres in Ambrosio: videbas — ubi, velis nolis, subaudiendum est: post consecrationem in altari. Dicit enim ipse b. Ambrosius: veniebas ad altare, quod, i. e. venire ad altare, fideles non negabis post consecrationem, ut dominicae mensae communicent, videbas, quae corporalia sunt, corporalibus oculis, sed quae sacramentorum sunt, cordis oculis adhuc vi-

¹) *Hic numerus in ipso codice sequenti paginae inscriptus est; sed abruptum esse folium vestigia illic obvia ostendunt.*

dere non poterat. Cum legas in b. Ambrosio: similitudinem preciosi sanguinis bibis, legas et in b. Augustino in epistola ad Bonifacium episcopum: si sacramenta rerum, quarum sacramenta sunt, similitudinem non habent (non ait: rerum, quas fuerant), tu vecorditer asseris, esse in sacramentis altaris similitudinem panis et vini, ad quod confirmandum similitudinis adverbium non valere ad identitatem vel aequalitatem scripsisti indigne satis tua eruditione. Cum enim ego affirmarem, *fideles accipere ab altari non similitudinem vini*, quod tu *desipis*, sed *similitudinem sanguinis testimonio b. Ambrosii*, (170) dicentis: sicut similitudinem mortis sumpsisti, ita similitudinem preciosi sanguinis bibis, quorsum tu respondere voluisti, non valere ad aequalitatem adverbium similitudinis? Evangelica inducis loca, in nullo prorsus, quod scripseram, interpellantia. In eo enim, quod dicit dominus: estote misericordes, sicut et pater vester, constat, habendam hominibus misericordiam, quia est et in Deo misericordia, sicut constat, esse similitudinem sanguinis in altari, sicut et similitudinem mortis in fonte regenerationis, si verum est, quod dicit Ambrosius: sicut similitudinem mortis sumpsisti, ita similitudinem preciosi sanguinis bibis, nec verum est, quod tu dicere minime dubitasti: nec eadem potest esse Deo et homini misericordia; in quo scripti tui loco mirandum, quod ad decipiendum lectores scripti tui apponere nolueris illud, unde tota evangelica pendebat sententia. Cum enim dixisset dominus: sicut pater vester misericors

est, *secundum quid exigeret* ab hominibus misericordiam eandem ei, quae in Deo est, ut convenientissime adveniat dictum: sicut pater vester, apposuit dicens: qui solem suum oriri facit super bonos et malos, et pluit super iustos et iniustos. Si enim potest homo diligere inimicos, si potest benefacere his, qui se oderunt, vere potest, secundum quod determinavit ipse dominus Christus, esse homini eadem misericordia, quae Deo, ut misericordem se exhibeat bonis et malis, iustis et iniustis etiam homo. Non minus, ubi dixit dominus: claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut et nos, non dedignatus est, determinare, quid diceret, apponens: sicut ergo in te et tu in me, ut et ipsi unum sint in nobis; quod tu item (171) scripto tuo inserere, cum inserendum esset maxime, noluisti. In his verbis suis dominus non negavit, posse esse hominibus claritatem, secundum quod ipse determinavit, i. e. ut sint et ipsi unum, ad quod aspirat rationalis creatura per gratiam in nobis, i. e. in dilectione nostri, unde legitur: in Christo neque masculus, neque foemina, neque servus, neque liber, et illud: multitudinis credentium erat anima et cor unum in Deum; sicut est claritas in Deo secundum quod proprium est solius individuae trinitatis, ut unum sint, qui genuit et quem genuit. Inseruisti scripto tuo etiam illud: dilexisti eos, sicut et me dilexisti. Infinita sunt in scripturis similia, quae, si scripto inseruisses tuo, pondus nugis addidisses, et nichil contra veritatem optinuisses. Constat enim vero, secundum quod tractat b. Am-

brosius dicens: sicut similitudinem mortis sumpsisti, ita similitudinem preciosi sanguinis bibis, accipere fideles ab altari non similitudinem vel colorem vini, sed *similitudinem preciosi sanguinis*, sicut in regeneratione sumpserunt non similitudinem aquae et non aquam, sed aquam, similitudinem mortis Christi, ut nullus horror cruoris, ore corporis hausti, sit in refectione fidelium, sicut nec mortis corporalis in regeneratione eorum, nec usquam scripturarum demonstraturus es adhibitum aliquibus adverbium similitudinis: sicut, quae comparabilia minime fuerint. Maximae autem vecordiae erat, quod scripsisti, colorem vini accipere aliquem et non vinum, cum constet apud eruditionem tuam, vinum subiectum quoddam esse, colorem autem vini non a se habere, ut sit, sed a subiecto vino, sicut et omne, quod esse constet in subiecto, quod autem (172) non a se habet, ut sit, nulla, ut accipiatur vel videatur, ratione a se habere poterit, nec dissimulare potes, colorem et omne, quod sit in subiecto, sicut dixi, sine colorato vel subiecto nulla ratione videri; ac per hoc, dum carnem sublato panis subiecto esse in altari constituis, quae tamen caro colorem habeat panis, i. e. qualem habet panis, impossibile est, colorem hunc, etiam qualis fuit pani, qui in subiecta sit carne, quam tu tibi confingis, in altari esse, nisi visa, in qua est, carne, videri. Hactenus tractavisse de sacramentis altaris poterat satis esse b. Ambrosio in hoc quarto sermone suo, quem firmamentum ineptiae tuae stupenda vecordia putare potuisti; sed rem

ulterius prosequens, didicisti, inquit, quia, quod accipis, corpus est Christi. In hoc etiam dicto b. sibi Ambrosium suffragium ferre opinari non dubitant, qui tecum in scripturis ex mora et lima agere fugiunt, sed si malis legere, ut intelligas, secundum quod te adortatur spiritus Dei, dicens: qui legit, intelligat, et b. Augustinus: appende verbum, cape inde consilium, et beatus Ambrosius: vide distinctiones singulorumque verborum proprietates, et b. Gregorius: notate verba, colligendum est ex ipsius b. Ambrosii dictis et sensis, quid sit illud, quod accipis, quod consecretur, quod revera post consecrationem suam sit corpus Christi. Veniebas, inquit ipse b. Ambrosius, ad altare, ut acciperes sacramentum, et quid esse sentiat sacramentum, quod de altari fideles accipiunt, alibi indissimulabiliter manifestans, divini, inquit, muneris est sacramentum, quod accipis, ab eo prolatum, qui benedixit fidei patri Abrahæ, et: panem (173) et vinum Melchisedec optulit, Melchisedec auctor sacramentorum fuit. Si negare potes, panem et vinum Abrahæ obtulisse Melchisedhec, negare poteris, panem et vinum accipi a fidelibus in communicatione mensæ dominicæ; indissimulabiliter enim insinuat his dictis Ambrosius illud, fidelem accipere ab altari, quod constet Melchisedhec Abrahæ protulisse, manifeste insinuat, panem et vinum sacramenta esse, cum dicit: panem et vinum Melchisedhec optulit, et repetito: non Abraham, sed Melchisedec panem et vinum habuit, Melchisedhec auctor sacramentorum fuit, et consequenter

concludens, ergo, inquit, sacramenta haec, quae accipis; quod negari non potest b. illum Ambrosium dixisse, quem constaret communicare mensae dominicae, sicut negari non potest, b. Ambrosium affirmare, antiquiora esse sacramentis Iudaeorum sacramenta ecclesiae, cum verum sit, totam corporis Christi massam lege Moysi multo innegabiliter posteriorem esse. Si operatus est, inquit in consequentibus, in fonte, si operatus est sermo coelestis in aliis rebus, non operabitur in coelestibus sacramentis? Hic etiam attendendum, quid sentiat b. Ambrosius esse sacramenta, cum dicit: Melchisedec auctor sacramentorum fuit, cum dicit, antiquiora esse sacramenta ecclesiae Iudaeorum sacramentis, attendendum nichilominus, paria convenire paribus et ita consistere: si superfuit fons, in quo operatus est sermo coelestis, si superfuerunt res aliae, supersunt sacramenta, in quibus operatus est sermo coelestis coelestia. Sacramenta autem esse panem et vinum post consecrationem altaris, b. Ambrosius et in hoc quarto suo de misteriis sermone et in superioribus manifeste insinuat. (174) Hoc autem prosecutus fuerim, non quasi non operetur sermo coelestis etiam in illis, in quibus corrupto uno generatur alterum, sed ne quis alterum operationis genus attendens attendere pertinaciter fugiat alterum. Quod autem prosequitur b. Ambrosius et dicit: ergo didicisti, quod ex pane fiat corpus Christi, secundum corruptionem subiecti alterius et generationem alterius accipere volunt non lectores, sed neglectores scripturarum. Negligunt

etiam attendere, quod idem ipse b. Ambrosius scribit, ex malo servo fieri bonum filium, non oportere referri ad corruptionem vel generationem subiecti. Attendenda erat etiam vis conclusivae dictionis, quae est: *ergo*; quasi diceret: operante sermone coelesti in rebus his vel illis hoc vel illud contigisse concedis, oportet ergo te hoc fide tenere, si ratiocinari non sufficis, coelestem sermonem in pane et vino operari, sed non ut absumantur et desinant esse, quae fuerant, sed ut assumantur in aliud, quam erant et incipiant esse per consecrationem corpus Christi et sanguis, quae ante consecrationem non fuerant. Ergo didicisti, inquit, quasi diceret: ex illis hoc didicisti; ita tene, quae per consecrationem altaris sacramenta fiunt, res superesse, sicut illa alia superesse vidisti; maxime cum in quarto hoc sermone suo solius illius mutationis inducat, quae fit manentibus his, quae mutantur, exempla. Adhuc prosequitur b. Ambrosius, vulgi atque Lanfranni vecordiam extirpare, et dicit: vis scire, quia verbis coelestibus consecratur? Cum enim dicit: consecratur, attendere, quid consecrari dicat, necessario cogaris, nec quid consecratur, nisi panis et vinum, confingere poteris aliquid. Porro, quod dicitur, consecrari panem et vinum, tantum esse, quantum si dicatur, per subiecti corruptionem absumi panem et vinum, nulla tergi- (175) versatione, nulla poteris pugnacitate obtinere verum esse; ac per hoc panem et vinum accipis de mensa dominica non iam sicut ante consecrationem communia, sed sacrosancta, sed

verbis coelestibus, quod scribit b. Ambrosius, consecrata. Christi corpus enim sanctificat potius atque vivificat; nec est inveniri usquam in autentica scriptura, sanctificari per consecrationem corpus Christi, nisi forte ita se habeat scriptura vel sententia, ut nomine rei sacramentum rei appellaverit, sicut exponit b. Augustinus apostolicum illud: non diiudicans corpus domini, i. e. sacramentum corporis domini, non discernens, inquit b. Augustinus, cibum hunc a ceteris, veneratione huic singulariter debita; unde et b. Ambrosius in hoc suo quarto de misteriis sermone, quem suffragari sibi putavit vecordia Lanfrauni, ulterius non deesse panem et vinum mensae dominicae manifestans, fac nobis hanc oblationem, inquit. Cum enim scribit: hanc oblationem, dicere item, quae sit oblatio haec, necessario cogaris, nec permittit tibi b. Ambrosius, ad figmentum aliquod tuum confugere. Ait enim in superioribus libri: panem et vinum Melchisedhec Abrahae optulit, hoc in inferioribus, fac nobis, inquit, hanc oblationem, quod est *figura corporis et sanguinis domini*; in quibus suis verbis contradicit manifeste b. Ambrosius figmento, quod tu confingis, carnem Christi esse sacramentum carnis Christi. Quorsum enim accipi velit, quod hic dicit: hanc oblationem, alibi non tacuit, ubi ait: panem et vinum Melchisedhec Abrahae obtulit, Melchisedhec auctor sacramentorum fuit, et illud: divini igitur muneris est sacramentum, quod accipis, ab eo prolatum, qui benedixit fidei patri Abrahae. Quod ergo scribit: oblationem (176) hanc, omnino

te astringit, non ad aliud referre, nisi ad illud, quod ipse praefixit, dicens: panem et vinum Melchisedec Abrahae optulit, Melchisedec auctor sacramentorum fuit, nec pervertere poteris, b. Ambrosium ipsum illud, quod oblationem dicit, quod revera ipsum panem et vinum cogere confiteri, dicere etiam figuram corporis Christi et sanguinis, quod profecto ab evangelica veritate accepit, in qua ita habes: accepit panem, benedixit necessario pani, fregit necessario panem, et ne accusativum panis casum, quem priori verbo evangelista apposuerat, ubi dicit: accepit panem, verbis, quae subiunxit, quae sunt: benedixit ac fregit, auferre contenderes, opportune b. Ambrosius antevenit, et dicit non per eadem evangelistae verba: fractumque dedit. Non est, quo fractum referas, si panem sustuleris; quando enim hoc in coena dominus fecit et dixit, corpus ipsius adhuc integrum et intactum mansit, nec in eo, quod sequitur: edite ex hoc omnes, pronomen: *hoc* ab eo nomine, cui *fractum* adiacebit, poterit separari: et ne illud, item aliud hoc, ubi dicitur: hoc est corpus meum, pervertere laborares, similiter occurrit b. Ambrosius dicens: quod pro multis confringetur, quasi te ad rem violenter urgeret et diceret: hoc, i. e. haec res, i. e. hic panis, quod, i. e. quae res, i. e. qui panis modo fractus pro paucis, pro vobis XII, confringetur pro multis, pro fidelibus totius mundi, est corpus meum; habes in evangelio, quod pro vobis tradetur, non habes ibi, quod pro multis confringetur. Valet nichilominus ad detegendam

illorum vecordiam, qui mensae dominicae panis et vini sensualem materiam (177) mentiuntur deesse, etiam illud, quod b. Ambrosius in hoc suo IV de misteriis sermone ea, quae ad calicem pertinent, secundum evangelicam historiam prosequitur, dicens: similiter et calicem, postquam coenatum est, accepit, benedixit necessario calici, quod minime, nisi ut calix superesset, fieri potuit, calicem autem ad id, quod in calice est, necessario referens, dicens: bibite omnes ex hoc necessario calice, hic necessario calix, i. e. hoc vinum est sanguis meus; quae ita de calice dicta nulla item veritate constabunt, si mensae dominicae superesse negaveris vinum, non quod tropica secundum vecordiam tuam, sed quod propria locutione dicatur vinum. Non enim potest vera esse affirmatio, quae dicit: hoc vinum est meus sanguis, si eam subiectum terminum suum, quod est hoc vinum, amisisse contigerit. Eadem repetens b. Ambrosius, ad ampliorem de proprietate panis et vini in mensa dominica sensuali inculcationem, accepit, inquit inferius, panem, et adiungit: antequam consecretur, panis est, ubi verba Christi accesserint, corpus est Christi. In quibus item b. Ambrosii dictis, quid consecretur, attendere necessario cogeris, nec dissimulare poteris, cum dicit: antequam consecretur, quin subaudias: panis, quin concedas nichilominus, *longe aliud esse, consecrari aliquid, quam absumi aliquid per corruptionem subiecti*, et cum adiungit: ubi verba Christi accesserint, indissimulabiliter attendere cogeris, cui verba Christi accesserint, nec permitti-

tur tibi, pervertere, quin pani accesserint, et cum adiungitur: corpus est Christi, omni necessitate astringeris, ut *subaudias: ipse panis*, quod ita dictum omni erat falsitate notabile, si dixeris, panem deesse mensae dominicae. Prosequitur et de calice dicens: ante verba Christi calix est (subaudiatur: tantum), ubi verba Christi operata fuerint, sanguis efficitur necessario ipse calix, i. e. vinum, quod habet ipse calix, et ne perverti posse, quod posuit: *efficitur*, opineris, ipsum b. Ambrosium proxime superius audi dicentem: hic calix est meus sanguis; qui locus in scripto b. Ambrosii nullum perversoribus locum facit, quia *omnis enuntiatio amissa parte altera utra, praedictum dico atque subiectum, constare non poterit*. Offerimus, inquit in consequentibus, tibi incruentam hostiam, hunc panem sanctum; Deus bone, quanta miseria, quanta malicia per negligentiam circa praeceptum illud divinum: scrutamini scripturas, per superbiam; per invidentiam in luce publica caligare, in expositum omnibus parietem vel quodcumque offendere, qui sibi tenebras malunt, quantum merentur repelli a luce! Offerimus, inquit b. Ambrosius, incruentam hostiam, et opinabimur, ita dicentem sensisse, nichil esse nisi cruorem in calice? Offerimus, inquit, hunc panem, ubi pronomen: *hunc* apposuit ad discretionem communis et inconsecrati panis, non ad modum tropicae locutionis, et opinabimur, panem in mensa dominica minime superesse? His, qui ponunt tenebras lucem et lucem tenebras, quam merito vae!

Petimus, inquit b. Ambrosius, ut hanc oblationem suscipias in sublimi altari tuo. Cum dicit: *oblationem hanc*, ad ea recurras oportet, in quibus, ut dixi, manifestat, quid sit ipsa oblatio, quod ad res exteriores pertinet, dicens: panem et vinum Melchisedech Abrahae obtulit, Melchisedech sacramentorum auctor fuit, et illud: divini est muneris sacramentum, quod accipis ab eo prolatum, qui benedixit fidei patri Abrahae, et illud: sacramenta ecclesiae (179) antiquiora sunt sacramentis synagogae. Hoc in quarto beati Ambrosii de sacramentis sermone ad fastidium prosecutus veniam a veritatis amatoribus postulo, qui malunt ex mora et lima in perceptione veritatis sudare, quam in errore sibi aliquo per ignaviam adquiescere; certus enim sum, Lanfranni vecordiam isto meo conatu omni cordato homini, omni vel modicum erudito omnino subruisse, si dignetur, non negligenter legere tam ea, quae in quarto b. Ambrosii de mysteriis sermone prosecutus sum, quam ea, quae sum propicia divinitate de sexto etiam eiusdem b. Ambrosii sermone prosecuturus, quae Lanfrannus, ut errans in errorem mittat, scripto non dubitavit inserere suo ad firmamentum vecordiae suae, cum etiam in sermone illo sexto b. Ambrosii non minus, quam in quarto, si non desit verba legis ponderans, ad quod adhortatur per prophetam spiritus sanctus, subiecta contestetur panis et vini non deesse per consecrationem in altari. Unde necessarium putavi, de sexti etiam illius sermonis et verborum et sententiae evidentia manifestam facere

donante ipsa veritate vecordissimam hominis, qui haec pervertere non dubitavit, superbiam. Sexti illius sermonis sui b. Ambrosius tale principium dare voluit, ut et contra *Arrianos in eo ageret, et contra Manichaeos*. Ait ergo: *sicut verus Deus est Dei filius dominus noster Iehsus Christus, non, quemadmodum homines, per gratiam, sed, sicut filius, ex substantia patris, ita vera Christi caro, sicut ipse dicit, quam accipimus, et verus est sanguis, quo potamur*. Quod scripsit b. Ambrosius: vera caro est, quam accipimus, verus est sanguis, quo potamur, non debere accipi opinatur Lanfrannus, nisi (180) ad corporalem per dentes et os comestionem et bibitionem, quasi non sit assolens in communi sermone, assolentissimum in scripturis, audiri *incorporalem animae comestionem atque bibitionem*, unde Christus ipse: qui manducat me, etiam ipse vivit propter me. *Certum est autem, quando haec dicebat, nichil eum de sacramentis altaris constituisse*; et illud: ego cibum habeo manducare, quem vos nescitis, ubi refectionem suam sine dubio conversionem Samaritanae et populi eius accipi voluit cibi nomine, quae profecto corde manducatur, non dente; et beatus Augustinus in sermone quodam: haec, fratres, prolixiora, sed necessaria carpite, manducate, bibite, convalescite, currite, apprehendite; et in quaestionibus evangeliorum: manducet Christus et bibat confessionem et fidem gentium; in eodem: dominus Christus vult pasci, h. e. in suum corpus quasi mactatos et manducatos

transferre credentes; in eodem: *passiones domini in sacramentis corporis et sanguinis eius per totum iam orbem suavitate devotissima lambunt*. Non minori vecordia pervertat aliquis forsitan locum illum scripturae: dixit Deus, fiat lux, ut opinetur, vocem dominum edidisse per instrumentum pulmonis, gutturis et oris, quia non refugit spiritus sanctus, ibi ponere verbum, quod est: dixit. Sicut autem revera dixit Deus, sed quomodo suum est divinitatis incircumscriptae dicere, ita verum est, quod scribit b. Ambrosius, accipere fideles carnem Christi de altari, *sed quomodo non indignum sit Deo, eam accipi, i. e. quantum ad sacramentum, ore, quantum ad rem sacramenti, corde, unde b. Augustinus* in evangelio: qui manducat, inquit, corde, et in libro de quaestionibus evan- (181) geliorum: qui Christi humilitatem passionemque imitando tanquam de eius corpore saturantur; alibi: quando Christum manducamus, non de illo partes facimus, quod quidem in sacramento fit; per partes manducatur et manet integer totus; per partes manducatur in sacramento, et *manet integer totus in coelo, manet integer totus non in ore, non in ventre, sed in corde tuo*. Hoc alibi etiam per contrarium contestatur idem b. Augustinus, dicens: si hoc est, haedum epulari, de eius occisione laetari. De eodem et b. Ieronimus: pasca nostrum immolatus est Christus, qui non foris, sed in domo una et *intus* manducatur. Ita ergo Christi caro, quantum ad sacramentum, per partes manducatur, ut dicit

b. Augustinus: manu frangitur, *quantum ad rem sacramenti, tota et integra cordi inmanet, corde manducatur*; nec opinari debuit superba Lanfranni vecordia, b. Ambrosium in hac sententia Augustino contrarium; pro eo, quod non refugit b. Ambrosius, ponere in huius sexti sermonis sui principio: *caro, quam accipimus, sanguis, quo potamur, quia non minus manducare et bibere tropica spiritus, quam propria locutione dicitur corpus*. Quod autem ita comparat b. Ambrosius: sicut verus Deus est dominus noster Iehsus Christus, non, quemadmodum homines, per gratiam, sed sicut filius ex substantia patris, ita vera eius caro et verus est sanguis, *non ad corporalem carnis et sanguinis Christi comestionem retulit et bibitionem*, sed, ut dixi, contra veritatis agere voluit inimicos, tanquam diceret: sicut est verus Deus dominus noster Iehsus Christus cum Deo patre, quod non esset usquequaque, si secundum deitatem minor esset patre, quod mentiuntur Ariani, ita verus est homo cum hominibus, vel cum homine matre, quod (182) negant Manichaei, qui mentiuntur, fantasma fuisse corpus Christi, quod si vere dixissent, *frustra* Christus instituisset, commemorari oportere *populum suum comestione corporali et bibitione ad spiritualem refectio-* nem de incarnatione verbi et passione, quia incarnatio et passio corporis asserit veritatem. Unde et b. Hilarius contra Manichaeos, si vere, inquit, verbum caro factum est, et si vere verbum carnem factum in cibo dominico suminus. Contra

hanc meam interpretationem in sexto b. Ambrosii de misteriis sermone si quis ita consistit, ut dicat, nichil suscepisse b. Ambrosium contra hos vel illos veritatis inimicos in suo hoc opere, ego constanter respondeo, nichilo plus illi agendum fuisse contra Manichaeos in superiori de misteriis tractatu, ubi agens de columba, quae super dominum sedit, et adiecit: memento, quid dixerim: non quasi carnem, sed naturae nostrae carnem vere Christus accepit, super Christum autem non columba, sed quasi columba descendit; quod profecto Ambrosius contra Manichaeos admonuit, quanquam contra eos, qui consistant, ut dixi, nichil b. Ambrosium suscepisse contra Arrianos vel Manichaeos in hoc suo opere, satis fuerit, ita me respondere, iniuriam b. Ambrosio intolerabilem facere eum, qui tractatus ipsius b. Ambrosii locum vel alium aliquem ita laborat intendere, ut tantum virum opinetur, quae ipse destruxit, iterum reaedificare et proprio, quasi Goliath, ense deperire, unde apostolus, si, inquit, quem destruxi, iterum reaedifico, praevaricatorem me constituo, et evangelista: regnum in se ipsum divisum desolabitur. (183) Cum ergo et in hoc et in aliis suis operibus manifestum faciat b. Ambrosius, panis vini que subiecta, unde iam satisfeci, etiam post consecrationem nulla ratione mensae deesse dominicae, quod certum habebit omnis, qui secundum Christi domini praescriptum dicta scrutabitur b. Ambrosii, non erat putandus idem ipse Ambrosius in hoc vel aliis locis pernegare idem ipsum. Hic visum est, ante oculos aliquid exempli gratia po-

nere. Si quis pergat sentire cum Iudaeis, ut dicat, semper virginem beatam Mariam de Ioseph concepisse, et evangelica illud auctoritate confirmet dicens: quid evidentius eo, quod evangelista non tacet: erant pater Iehsu et mater? sufficit, ita adversario respondere: oportet in talibus, sicut partem, etiam totum attendere. Erant, inquis tu, ait evangelista, pater Iehsu et mater. Inquo et ego: antequam convenirent, scribit evangelista, inventa est in utero habens non de Ioseph, sed de spiritu sancto; si ita, inquo, evangelistam audis, ut, quod in hoc destruxit, in alio reaedificet loco, ut omittam evangelistam, facis contra te ipsum, qui eum, cuius auctoritate niti velle videbaris, nulla dignum auctoritate constituis, dum ei notam in hoc genere inconstantiae, tantae socordiae affigis, ut iterum reaedificet, quae destruxit. Ita plane, si b. Ambrosius ad hoc sexti huius sermonis sui tale dedit principium, ut, quod dixit: vera est caro, quam accipimus, et verus est sanguis, quo potamur, ut his dictis Christi carnem adhuc corruptibilem comestione corporali manducari demonstraverit, quod hic aedificavit, secundum vecordiam tuam omnino in sequentibus destruit. Facit enim in eodem sexto sermone suo sibi ab auditore suo consequenter opponi: quomodo vera caro, quomodo verus sanguis? qui similitudinem video, non video carnis, non video sanguinis veritatem. Quibus ita positus detorqueri item Lanfrannus ad vecordiam suam posse opinatur, quod dicit obiecto: qui similitudinem video, ut putetur dixisse: qui video similitu-

dinem panis et vini; sed verbis, quae secuntur, istud omnino excluditur. Cum enim dixisset ob-
 iector: qui similitudinem video, adiecit: non video
 carnis, non video sanguinis veritatem; in tali au-
 tem propositione necessario cogitur lector, id, quod
 praemittitur: similitudinem, adiungere genitivis, qui
 secuntur: carnis et sanguinis, quod necessario exi-
 git omnis ita facta verborum complexio. Verbi
 gratia, qui dicit: inveno quidem discipulos, magi-
 strum autem non inveno, nullo modo dicendus est
 permisisse auditori suo, ut, quod dixit: discipulos,
 ad alium aliquem magistrum referat, quam ad
 eum, de quo posuit: magistrum autem non in-
 venio; qui dicit: partem attendis, totum oportebat
 attendi, nullo putandus est modo partem ad totum
 aliud retulisse, quam ad ipsum, de quo posuit:
 totum attendi oportuit. Ita beatus Ambrosius, dum
 scribit: quomodo vera caro, quomodo verus san-
 guis? qui similitudinem video, non video carnis,
 non video sanguinis veritatem, nulli permittit pugna-
 citati, ad aliud referre, quod in prioribus posuit,
 similitudinem, quam ad ea, quae in posterioribus
 posuit: carnis et sanguinis. Sunt autem sacramenta
 panis et vini post consecrationem altaris, unde b.
 Augustinus contra Faustum: panis et vinum non
 quilibet, sed certa consecratione mysticus fit nobis,
 non nascitur; proinde, quae non ita fiunt, alimenta
 sunt refactionis, non sacramenta religionis; ubi
 supplere habes necessario de evidentia sententiae:
 panis autem et vinum, quae ita fiunt (185) certa
 consecratione mystica, sacramenta religionis sunt.

Quae dum ita b. Augustinus prosequitur, ad nichilum duxit omni procul dubio figmentum cordis tui, qui dicis, portiunculam carnis esse in altari, eamque mentiris esse sacramentum totius, quod in coelo est, corporis Christi; non enim vel portiuncula carnis Christi, vel tota caro Christi consecratione indigent, ulla possunt consecratione mistica fieri. Idem ad *Petrum diaconum*: cui cum patre sacrificium panis offertur et vini, et in quaestionibus evangeliorum: per vinum commendat Christus sanguinem suum; quod nulla pervertere pugnacitas valeat, quia commendari isto modo per id, quod non sit, sicut nec consecrari, quod non supersit, nichil poterit. Porro pro eo, quod sacramenta sunt corporis et sanguinis panis et vinum, etiam similitudo corporis Christi et sanguinis sunt, quia, sicut ait b. Augustinus ad Bonifacium episcopum, si sacramenta rerum, quarum sacramenta sunt, similitudinem non haberent, omnino sacramenta non essent. Non ait secundum vecordiam tuam: similitudinem rerum, quae fuerunt, i. e. similitudinem panis et vini, et modo per subiecti corruptionem absumptae sunt, sed ait: similitudinem rerum, quarum sacramenta sunt. Idem alibi de eodem: in eis rebus, quae ad unum rediguntur ex multis, commendavit corpus et sanguinem suum; nam ex multis granis unum conficitur, alterum ex multis acinis confluit; quae item dicta nullum qualicumque dictorum aut scriptorum perversori locum faciunt. Cum enim dicit b. Augustinus: in eis rebus commendavit, nullo modo pu-

tandus est cogitasse, commendari corpus et sanguinem Christi in universo pane, sed in consecratis solummodo pane et vino; cum ergo dicit: unum ex multis granis conficitur, alterum ex multis acinis confluit, non potest (186) intelligi dixisse, nisi de pane et vino iam consecratis, ut subaudiatur unum eorum, quae consecrata de altari accipiuntur. Quod si constat, constat etiam, eum, qui ita scripsit, certum habuisse, aliud esse consecrari panem et vinum in altari, aliud absumi panem et vinum per corruptionem subiecti. Cum dicat contra Faustum: panis et vinum non quilibet, sed certa consecratione mysticus, dissimulari non potest, eum hoc voluisse accipi de pane et vino iam consecratis; dissimulari non potest, sicut necessarium habeas, qui dicatur sanctus Deus, etiam Deum dici, ita, qui dicatur mysticus panis, etiam panem dici non debere negari; et quod tu sophisticè agis, non negare te, esse panem post consecrationem in altari, quia est in eo portiuncula carnis Christi, quae dicatur tropice panis, qui de coelo descendit, omnino annullatur, cum dicit b. Augustinus: certa consecratione mysticus, quia tropicum illum panem, Christi carnem, non a sacerdote consecrari, sed per eam ipsos verum est consecrari sacerdotes; multumque dissentis ab Augustino, qui dicit, commendari corpus Christi et sanguinem in eis rebus, quae rediguntur ad unum de multis, qui dicis, commendari, vel verbo tuo utar, *figurari corpus et sanguinem Christi* in carne Christi et sanguine, quae demens esse dicis sensualiter in altari, cum ea redacta esse

ad unum de multis demonstrare non possis. In eo ergo, quod sibi obici facit b. Ambrosius: qui similitudinem video carnis, et concedit, quia non refellit, carnis similitudinem videri in altari, manifestam fecit vecordiam tuam, qui dicis, non esse in altari panem post consecrationem, cum solus panis per consecrationem mysticus sit in altari similitudo carnis, contra quod tu tibi confingis, non esse panem corporis Christi similitudinem, sed portiunculam carnis, per generationem subiecti factam sensualiter in altari, similitudinem (187) esse atque sacramentum corporis, quod in coelo est, Christi, nec attendis, quantum sit contra religionem, contra te ipsum etiam, quod scripsisti. Contra religionem, *quia duas Christo attribuis carnes, unam, quae nunc facta sit in altari, alteram, quae in coelo sedeat ad dexteram patris*, cum constet, non nisi unum corpus, *quod propria, non tropica locutione dicatur corpus, habere Christum*, unde b. Ambrosius: sicut unum corpus Christi est, et non multa corpora, ita et unum sacrificium, sicut autem *unum est corpus Christi, ita et indeseccabile*, quia *inpassibile et incorruptibile*, unde propheta; non dabis sanctum tuum videre corruptionem, ut hoc de resuscitato iam accipias corpore, et apostolus: etsi noveramus Christum secundum carnem, sed iam non novimus; et idem Ambrosius in libro de trinitate: Christus vulnerari non potest, et Augustinus: nec, quando Christum manducamus, partes de illo facimus, per partes manducatur in sacramento et manet integer

totus in coelo, manet integer totus in corde tuo. Contra te ipsum, quia tu ipse in prioribus scripti tui confirmaveras species elementorum, quod profecto manifestum est, velis nolis, dixisse te de colore panis et vini, quod tu vecorditer scribis, non attendens, te ipsum subruere, quod scribis. Dum enim dicis, absumi panem in altari per corruptionem subiecti, falsum est, quod scribis, sublato pane superesse colorem panis; est enim, quantum ad vecordiam tuam, in altari color portiunculae carnis, portiunculae sanguinis Christi, quos per generationem subiecti tu desipis nunc primum esse incipere in altari, contra perspicuae evidentiam veritatis, quia in evidenti res est, Christi corpus tam pro toto, quam pro parte minime nunc posse esse incipere, contra propheticae, evangelicae, apostolicae, ut ceteros taceam, indeclinabile pondus auctoritatis, unde in hoc opere satisfeci, nec licebat vecordiae tuae dicere, videri (188) colorem panis et vini, quae sublata esse constituis in altari, nisi ut tantum valeret, quantum si diceres: videri, qualem panis habet colorem in portiuncula carnis Christi et sanguinis. Taceo, quod non solum contra omnes facis auctoritates, quae in sacrificio ecclesiae *sacramentum esse visibile, rem sacramenti esse confirmant invisibilem* (unde b. Augustinus, qui etiam mutabile et temporale dicit sacramentum altaris, contra Faustum illud evangelicum tractans: *ut, qui ex eo manducaverit, non moriatur in aeternum; manducaverit, inquit, sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet*

ad visibile sacramentum), sed etiam contra te ipsum stupenda in tua eruditione vecordia. Qui enim asserueras in prioribus scripti tui, constare sacrificium ecclesiae visibili et invisibili sacramento et re sacramenti, visibili, inquires, elementorum specie et Christi carne et sanguine, ubi, quod sacramentum dicebas, esse etiam non tacuisti visibile, in posterioribus scripti eiusdem esse asseris totius corporis, quod in coelo est, Christi sacramentum, non elementorum speciem visibilem, sed carnem nunc factam in altari per generationem subiecti, quam, cum manu frangas, dente atteras, (contra evidentissimam tamen veritatem, omne enim, quod manu contingas, dente atteras, etiam oculo necesse est videas,) esse confirmas invisibilem, intelligibilem. In quo, sicut Augustinus, etiam b. Ambrosius in hoc suo sexto de misteriis sermone refragatur vecordiae tuae; dum enim obiectori suo concedit Ambrosius, non videri in altari carnem Christi, concedit autem, videri similitudinem carnis, nec est ostendere, sublato pane, quid in altari sibi optineat similitudinem carnis; necesse est autem, quod in altari sacramentum dicas, per consecrationem sacramentum concedas fieri, unde b. Augustinus contra Faustum: panis certa consecratione mysticus, (189) qui erat alimentum refectionis, factus est sacramentum religionis; porro Christi corpus vel quotacunque portiuncula in Christi corpore consecrari non potest, unde ad nichilum valeat, quod coniugis, carnem Christi esse sacramentum carnis Christi, ac per hoc similitudinem carnis

Christi. Longe a te dissentit Ambrosius, qui intelligibilem et invisibilem scribit carnem altaris, quam tamen sacramentum esse confirmat carnis, quae in coelo est, Christi. Non minus contra evidentiam veritatis et contra eruditionem tuam erat quam maxime deliramentum illud tuum: scribis enim, non esse post consecrationem in altari, nisi portiunculam sensualiter carnis Christi, minimeque portiunculam ipsam videri, videri tamen colorem, qui sit in subiecta ea portiuncula carnis; quod usque eo falsum est, ut omne, quod in subiecto est, sicut non a se habet, ut sit, sed a subiecto, in quo est, ita non a se habeat, ut videatur, sed a subiecto, in quo est. Unde indissimulabiliter verum est, videri carnis portiunculam, si videtur, ut scribis, color, qui in subiecta ea est portiuncula carnis, cum constet, non videri visu corporeo colorem vel quamcunque qualitatem, nisi viso colorato et quali. Quid autem, quod et Christi esse scribis carnem nunc primum per consecrationem esse institutam, et invisibilem atque intelligibilem, cum minime neges, visibile esse Christi corpus atque palpabile? Quis ferat, maxime in tua eruditione, confirmare te, esse invisibile atque intelligibile aliquid, quod tamen non neges, manu frangi, dente atteri, portiunculam carnis invisibilem, quae sit in altari, frustum esse corporis Christi palpabile te non negante atque visibile? Et hoc quidem ad fastidium repetivi, ut indissimulabiliter, qui moram in legendo et limam non exhorreat, videat, quantam eruditioni tuae scriptum tuum contumeliam (190) inferat.

Sed iam quae b. Ambrosius ad obiectorem suum contexuit, prosequar. Dixi tibi, inquit, sermonem Christi posse convertere genera et instituta naturae, tanquam diceret: verum dicis, non videre te veritatem carnis et sanguinis, i. e. manifeste exposita carnem et sanguinem Christi, sed tamen credendum tibi est, accipere te de altari carnem et sanguinem Christi, quia sermo Christi potest instituta naturae convertere, sicut in praecedentibus libri huius protestatus sum tibi. Quod ut nullus arbitretur perverse me interpretari contra b. Ambrosii sententiam, recurrendum est ad ea loca, ubi evidenter b. manifestat Ambrosius, quo genere conversionis sentiat converti panem et vinum altaris in corpus et sanguinem Christi. Non enim simpliciter dicitur verbum, quod est: converti; convertuntur enim quaedam per corruptionem subiecti in aliud, quod non erant, sed longe aliud est, converti aliquid per sui subiecti consecrationem, quam per sui subiecti corruptionem; panis autem et vinum attestante hoc omni scriptura per consecrationem convertuntur in Christi carnem et sanguinem, constatque, *omne, quod consecretur, omne, cui a Deo benedicatur, non absumi, non auferri, non destrui, sed manere, et in melius, quam erat, necessario procehi*; unde ipse b. Ambrosius de conversione panis et vini mensae dominicae, Christi, inquit, sermo operatorius est, ut sint, quae erant, et in aliud commutentur; et alibi, ractemus, inquit, quomodo, qui panis est, corpus est Christi; et ne quis ita ab eo dicta forte per-

vertat, inductione procurat b. Ambrosius, dicens: denique tu eras, sed eras vetus creatura, postquam consecratus es, nova creatura factus es, ut, sicut manente subiecto animae et corporis, in novam mutatus est aliquis creaturam, ita manentibus subiectis suis mutantur panis et vinum in corpus et sanguinem Christi. Non dissentit a sano (191) hoc intellectu, qui in oratione dicendum instituit: ut, remissione percepta, in tua semper benedictione laetemur, quod, i. e. laetari semper, eum, qui non sumpsit, impossibile est, et illud: benedictionem tuam populus fidelis accipiat, qua corpore salvatus et mente gratum tibi semper exhibeat s. Deinde, inquit b. Ambrosius, tanquam diceret: admonui, ut ab auctoritate mea pendeas, qui totiens dixi tibi, sermonem Christi posse convertere genera et instituta naturae; deinde admoneo, ut apostolo Petro assensum non neges, ut ab apostoli auctoritate pendeas, qui abhorrentibus aliis, quod Christus manducandam carnem suam indiceret et bibendum sanguinem, magistri verba non exhorruit, magistri verba non esse verba mortis, quod putabant illi, qui opinabantur, iubere illum manducari carnem suam per flagitium vel facinus, per comestionem corporalem, quia contra humana est instituta vesci carne humana. Unde b. Augustinus in libro de doctrina christiana: flagitium iubere videtur, sed verba esse vitae protestatus est aeternae; et, ne aliorum, quae praemisit b. Ambrosius, quivis accipere pergeret, intulit: ne igitur plures hoc dicerent, et ne veluti quidam esset horror cruoris, sed

maneret precium redemptionis, ideo in similitudinem accipis sacramentum, sed verae naturae gloriam virtutemque consequeris; tanquam diceret: igitur, i. e. quia praemisi, pendere te oportere ab apostoli Petri auctoritate et mea, hoc praemisso, etiam illud, quod pertineat ad ratiocinationem, infero, i. e., ne plures, quam fuerunt, qui dominum admonentem ad manducandam carnem suam audientes ab eo recesserunt, hoc dicerent, quod dixerunt illi, i. e., durum esse sermonem Christi, et iure, quia, si iuberet manducari carnem suam per dentes, etsi minor in obsequente fidei esset horror propter dominum, qui iuberet, nullus tamen propter (192) instituta hominum, propter homicidium ab esu carnis humanae abhorrentia, esse non potest, sed esset vere quidam horror velut cruoris, ideo, inquam, in similitudinem accipis sacramentum, sed verae naturae gloriam consequeris, i. e., ita oportuit a domino institui, ut, quod de bibendo praecipit sanguine suo, non ad proprietatem, quantum ad os et ventrem, accipias, sed ad similitudinem, ut sacramentum, quod est similitudo, in quo, quid iure horreas, non sit, ore accipias, ventre excipias, sed tamen verae naturae corporis Christi virtutem (unde ipse dominus: qui manducat me, etiam ipse vivit propter me; quantum ad refectionem corporis, inquit tibi, in vera verbi incarnatione acquiescas et passione) consequeris et gloriam, unde Augustinus: manet integer totus in coelo, manet integer totus in corde tuo, nec dissimulare a proprietate huiusce verborum complexionis quis debuit. Dum

enim ita scribit b. Ambrosius: in similitudinem accipis sacramentum, sed verae naturae gloriam consequeris, necessario lectorem cogit, id, quod praemisit, similitudinem, pertrahere ad genitivos, quos posterius posuit, verae naturae, ut ita constet: accipis sacramentum in similitudinem iens, i. e. attendens, quod ipsum sacramentum similitudo sit verae naturae, i. e. corporis, quod non fantasticum, quod dicunt Mānichaei, sed verum Christus habuit. Non minus, dum dicit sacramentum, necessario te cogit, proponere aliquid, quod, praeter quod ipsum est etiam, aliquid sit, i. e. sacramentum; *esse enim sacramentum non est ipsum esse, sed aliquid esse*, constatque *omne compactum ex materia et forma aliud esse in eo, quod est, aliud in eo, quod aliquid est*. Aliud est enim Socrates in eo, quod Socrates est, aliud in eo, quod iustus est, nec quicquam valet, ut dixi, deliramentum illud tuum, quod dicis, portiunculam carnis (193) Christi, quae in altari sit, esse sacramentum corporis, quod in coelo est, Christi, quia et sine consecratione non instituitur esse sacramentum aliquid, et portiuncula carnis, quam confingis esse sensualiter in altari, si de corpore Christi est, quamvis indesecabile iam sit corpus Christi, unde superius satis egi, consecratione non indiget, nullum facit locum consecrationi, ac per hoc nullo modo, quantum ad hunc tractatum, instituitur esse sacramentum. Simul in his b. Ambrosii dictis negligendum non est, quod in omni oportet scriptura attendi; illud autem est: ut cuiuscunque auctoris dicta non de tuo

pergas corde interpretari, maxime si eiusdem auctoris manifestiora dicta invenias eis, quae pervertere forsitan quis conetur, ad veritatem attestantia. Quia ergo b. Ambrosius hoc loco dicit: verae naturae gloriam consequeris, recurrendum est ad superiora tractatus eiusdem b. Ambrosii, ubi, cum ad obiecta sibi respondisset, non debere quaeri ordinem naturalem mutationis in eo, quod dixisset ipse b. Ambrosius mutari, sed per consecrationem in altari panem et vinum in corpus et sanguinem Christi, quia nec in generatione corporis Christi quaereretur ordo naturalis, ad obiectorum solutionem adiecit: vera utique caro Christi est, quae crucifixa est, quae sepulta est; vere ergo carnis illius sacramentum est, ubi subaudiendum est: quod tu accipiens, quia panem te revera tibi constabat accipere, obieceras: aliud video, quomodo tu mihi dicis, quod Christi corpus accipiam? Secundum ergo illud, quod b. Ambrosius distinctionem in praecedentibus facit manifeste carnis Christi et sacramenti carnis Christi, etiam in hoc posteriori tractatu suo de misteriis attende b. Ambrosium dixisse: in similitudinem accipis sacramentum, sed verae naturae virtutem (unde idem ad Hebraeos: salvatricem vivificatricemque substantiam) gloriamque con- (194) sequeris (unde idem ad Hebraeos: salvatricem vivificatricemque substantiam: magna sane gloria, magna virtus solius corporis a verbo assumpti, quod per illud salvatur quis et vivificatur), ut certum habeas, per consecrationem sacramentum esse institui, nulla autem indigere conse-

cratione corpus Christi, nullo modo iam desecari posse corpus Christi, et, si desecari posse concederes contra Apostolum, qui dicit: non iam secundum carnem Christum novimus, et contra b. Ambrosium, qui dicit in libro de trinitate ad Gratianum: Christus iam vulnus sentire non potest, tamen portiuncula qualiscunque, quantacunque de corpore Christi non posset institui esse sacramentum, quia nullam ultra consecrationem admitteret, quod totiens repeto contra vecordiam tuam, qui confingis, et carnem Christi esse sensualiter in altari, et eam tamen esse sacramentum carnis, quae in coelo est, Christi; ac per hoc certum habeas, quod dicit b. Ambrosius: in similitudinem accipis sacramentum, non de similitudine panis secundum vecordiam tuam, nec de pane, qui tropica locutione dicatur panis, secundum quod dicis, non negare te, esse panem in sacrificio Christi, quia sit ibi portiuncula sensualiter carnis, quae dicatur panis, qui de coelo descendit, accipi voluisse b. Ambrosium, sed de pane, qui propria locutione dicatur panis, qui consecrationem admittere potest et fieri sacramentum, quod dum fit, etiam similitudo fit ipse panis corporis Christi; certum, inquam, habeas, non debere te regnum in se ipsum divisum facere desolationi obnoxium, i. e. non debere te b. Ambrosium facere sibi ipsi contrarium, ut ad vecordiam tuam accipias, quod in hoc extremo sermone suo dicit: in similitudinem accipis sacramentum, ut, cum dicit similitudinem, subaudiendum esse putes: panis, ut ita dicitur: in similitudinem panis accipis, sed po-

tius, quod in omni scriptura faciendum est, expende b. Ambrosii dicta haec posteriora illius ipsius b. Ambrosii praecedentia de eodem dicta et sensa. Sicut enim in hoc sexto sermone (195) suo auditorem suum ad obiciendum sibi de sacramento et re sacramenti exsuscitat, ut dicat, quomodo vera caro, quomodo verus sanguis, ita et in priori de eodem tractatu auditorem suum exsuscitaverat ad quaerendum de eodem, ut diceret obiecto: speciem sanguinis non video, et ad hoc respondeat b. Ambrosius: sed habet similitudinem, tanquam diceret: verum dicis, quod dicis, non videre te speciem sanguinis, quia cruorem non habet sensualiter, sed habet similitudinem ipse calix, et ne subaudiendum putares: vini, ut ita haberes similitudinem vini (non vinum habet secundum vecordiam tuam calix), inductione praevenerat beatus Ambrosius dicens: *sicut enim similitudinem mortis sumpsisti, ita similitudinem preciosi sanguinis bibis; nec dixerat: similitudinem vini, sed: similitudinem preciosi sanguinis;* et superioribus dixerat: mors Christi est baptismus ecclesiae, non in mortis corporalis veritate, sed in similitudine, ut necesse haberes subaudire: mortis; et illud: satisfactum est sententiae divinae sine mortis stupore, quod mergeris, ut ita expenderes: moritur baptizatus sine mortis stupore, bibit, qui communicat mensae dominicae, sanguinem sine cruoris horrore, ut nec stupidum faciat baptizatum mors per sacramentum exterior, nec horrere faciat eum, qui reficitur ad mensam dominicam, exterior per sacramentum bi-

bitio, sed moriatur sine stupore mortis, reficiatur fidelis sine horrore cruoris. *Interius rem sacramenti, qui regeneratur, accipiat*, i. e. mortem Christi, qui secundum corpus solum mortem expertus est, ceterum ab omni mansit morte immunis, ut veteri homini mortuus novum vivat quicumque baptizatus, interius, qui reficitur, *rem ipsam*, i. e. *corpus Christi et sanguinem sibi* (196) ingerat, sibi manducet et bibat, reficiendo se, acquiescendo sibi in incarnatione et passione verbi, moriatur, ut supersit vivus. Sic enim mortuus est Christus dominus, unde apostolus: quicumque baptizamur in Christo Iesu, in morte ipsius baptizamur; bibit, ut non cruentetur, quia ad flagitia nulla suos instituit Christus dominus. Talia, inquam, b. Ambrosii prius dicta non negligens, pervertere ne praesumas, quae de eadem sententia posuit in extremo isto sermone suo dicens: ideo in similitudinem accipis sacramentum, nec tantum doctorem sibi de eadem sententia contrarium facias, ut, qui in priori tractatu: quod calix habet similitudinem preciosi sanguinis, dixerat, in hoc posteriori tractatu suo de misteriis subaudiri voluerit: vini, cum dicit: in similitudinem sacramentum accipis, et quod in prioribus habes: ut nullus horror cruoris sit et premium tamen operetur redemptionis, ad istud applices, quod in extremis suis his dicit b. Ambrosius, ne plures hoc dicerent et esset quidam horror velut cruoris, sed maneret gratia redemptionis, ut, sicut perpendis, Christum dominum lavare suos proprio sanguine et nullum tamen

secundum corpus cruore suo perfundere, ita accipias, Christum dominum iubere fideles, ut reficiantur carne sua et sanguine, nec minus ab omni flagitio prohibere et facinore. Ita prohibitus est Abraham, ne Isaac occideret, ubi parricidii horror non esse non posset, si exteriori gladio filium iugulasset, et procuratus est Abrahae aries, in quo holocaustum sine horrore parricidii consummaret, quanquam Abraham attenderit in iussione divina per exteriorem gladium filii mactationem; (197) in praescripto autem Christi domini, quo praescribit, debere suos carne sua et sanguine refici, et necesse habuisse fideles, lavari ipsius sanguine, nullus recte intelligens comestionem et bibitionem per dentes et os, aut perfusum exterius fidelium corpus Christi sanguine in balneis aut in dolio convinci possit attendisse.

Hic visum est subscribenda esse *scripturarum loca*, quae vecordiae suae Lanfrannus iudicio Dei per malitiam suam coecatus suffragari putavit. Augustinus in omelia secunda psalmi XXXIII: accesserunt Iudaei ad Christum, ut crucifigerent, nos ad eum accedamus, ut corpus et sanguinem eius accipiamus; illi de crucifixo tenebrati sunt, nos manducando crucifixum et bibendo illuminamur; et post aliqua: vere magnus dominus et magna misericordia eius, vere qui nobis dedit manducare corpus suum, in quo tanta perpessus est, et sanguinem bibere; item in omelia psalmi XLV ad Iudaeos loquens: in illius nomine, quem occidistis, baptizamini et dimittuntur vobis peccata vestra.

medicum vel postea cognovistis, iam securi bibite sanguinem, quem fudistis; item in omelia psalmi LX. V: modo homicidis donatus est fusus sanguis innocentis, et ipsum sanguinem, quem per insaniam fuderunt, per gratiam biberunt; item in omelia psalmi XC. VIII: quaero, quid sit scabellum pedum eius, et dicit mihi scriptura: terra scabellum pedum meorum; fluctuans converto me ad Christum, quia ipsum quaero hic, et invenio, quomodo sine impietate adoretur scabellum pedum eius; suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit, et quia in ipsa carne hic ambulavit, (198) et ipsam carnem nobis ad manducandum ad salutem dedit. Nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit. Inventum est, quemadmodum adoretur tale scabellum pedum domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando. Tunc autem, quando hoc dominus commendavit, de carne sua locutus erat et dixerat: nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit in se vitam aeternam. Scandalizati sunt discipuli eius quidam septuaginta ferme et dixerunt: durus est hic sermo, quis potest eum intelligere? Et recesserunt ab eo, et amplius cum eo non ambulaverunt. Durum est illis visum, quod ait: nisi quis manducaverit carnem meam, non habebit vitam aeternam. Acceperunt illud stulte, *carnaliter illud cogitaverunt*, et putaverunt, quod praecisurus esset dominus particulas quasdam de corpore suo et daturus illis, et dixerunt: durus est hic sermo. Ipsi duri erant, non

sermo. Et, paucis intermissis, *spiritualiter*, inquit, *intelligite* quod locutus sum. Non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Idem in omelia XXVII. evangelii secundum Iohannem: quid est ergo, non prodest quicquam caro? Non prodest quicquam, sed quomodo illi intellexerunt? Carnem quippe sic intellexerunt, quomodo in cadavere dilaniatur aut in macello venditur, non quomodo spiritum vegetat. Idem in omelia XI. super Iohannem: in populo enim Iudaeorum figuratur populus Christianorum. Ibi figura, hic veritas, ibi umbra, hic corpus. Idem in omelia XX. I: at illi viderunt Christum suo scelere morientem, crediderunt in Christum his sceleribus ignoscentem. Quousque biberent sanguinem, quem fuderant, de sua salute desperaverant. Item in LX: (199) qui saevientes occiderunt, mutati crediderunt, et quem sanguinem saeviendo fuderunt, credendo biberunt. Idem in sermone ad Neophitos: hoc accipite in pane, quod pependit in cruce, et hoc accipite in calice, quod effusum est de Christi latere. Idem in libro IV de trinitate: apud eum paucissimi remanserunt, agnoscentibus gentibus et pia humilitate bibentibus precium suum, eiusque fiducia deserentibus hostem suum; et in sequenti capitulo post aliqua: quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiae caro nata in utero et ex utero virginali? Et quid tam grate offerri et suscipi posset, quam caro sacrificii nostri corpus effecti sacerdotis

nostri? ¹⁾ Insistendum, quid operetur in homine, pro merente malitia ipsius, divina iustitia, secundum quod scribit evangelista: ego in iudicium veni in mundum, ut, qui vident, coeci fiant. Multa enim mora Lanfrannus ad videndum eruditus et lima, hoc tamen b. Augustini dictum putare potuit suffragari ineptiae suae, quod solum omnino ad adnullandam sufficit vecordiam ipsius. Scribit enim b. Augustinus ad Neophitos ita: hoc accipe in pane, quod pependit in cruce, hoc bibe in calice, i. e. in vino, quod manavit e latere. Quae verba omni necessitate convincunt, b. sententiam dedisse Augustinum, non deesse mensae dominicae panis subiecta et vini, quae non tropica, sed propria dicantur locutione vinum et panis. Omni enim necessitate mendacii convincitur scriptura, quae dicit: in baculo meo transivi Iordanem, quae dicit: in animabus LXX. introivit Iacob in Aegyptum, quae (200) dicit: eduxit eos in argento et auro, si baculum, si LXX. animas, si aurum vecors defuisse contendis et argentum. In ceteris, quae sibi de libris b. sumpsit Augustini, etsi non tantis similibus, tamen tenebris coecavit cor eius malitia ipsius. Non enim videtur alia ex causa putavisse, suffragari vecordiae suae loca illa de libris b. Au-

¹⁾ Nota: *quod carne manducatur, carnem vegetat, quod spiritu manducatur, spiritum vegetat.* In macello caro venditur, ut carne manducetur, Christi caro non dilaniatur, non venditur, sed spiritu manducatur. Unde illud: *qui manducat corde.*

Ann. cod.

gustini, nisi ex ea, quod in eis posita invenit: corpus et sanguinem accipiamus, manducarent, biberent, manducare, bibere, manducando, bibendo, et similia secundum verbi, quod est manduco, declinationem. Contra quod ridiculum quiddam, quo ego aliquando in scola non parvum sum concitatus in risum, non sum gravatus apponere, quia, auctore Oratio, ridiculum acri valdius et melius magnas plerumque secat res. Aderat in scolis, in quibus ego agebam, quidam, qui sero se tunc recens contulerat ad studium et adhuc in extrema Donati parte in interiectione laborabat. Hic parvos conscolares suos interrogantes audivit: *tantum* quae pars? Responderunt, quod videbatur, diversi diversa, compescuit ille, ne ita responderent, non esse: *tantum* nomen vel adverbium, quod putabant. Illi contradicere et nescire, quid diceret, confirmare. Ille constanter negare, quod dicebant, paratum se esse, demonstrare illis: quaenam pars esset *tantum*, si daturos illi se, si vinceret, sponderent aliquid. Sponsione facta, quasi victor exultans, modo, inquit, me vobis iure contradixisse videbitis; est enim *tantum* interiectio, unde iam vos ipsi satisfacietis vobis. Et aperiens librum suum, ipsi, inquit, legite versum istum. Versus autem erat in lectione, quam ipso die a magistro audierat: interiectioni quid accidit? Significatio *tantum*. Exultans pro victoria, sponsionem, inquit, reddite, interiectionem esse *tantum*, ultra ne dubitate! Non minus plane Lanfrannus desipuit, si putavit, dentibus secundum exteriorem hominem mandu-

(201) candam esse Christi carnem, pro eo, quod de interiori fidelium refectioe de carne et sanguine domini Dei sui agens b. Augustinus uti declinatione verbi, quod est: manducando, minime dubitavit, et sicut non conseqebatur, interiectionem esse dictionem: *tantum*, quia habebat stultus ille scriptum atque subiectum oculis in libro Donati: in interiectione significatio tantum, ita, ubi habebat Lanfrannus in libris b. Augustini: de corpore Christi et sanguine manducarent, biberent, manducando, bibendo, manducare, bibere, manducamus, bibimus, manducandam et eiusmodi secundum declinationem verbi quidem manduco, minime conseqebatur, eum manducationem per dentes cogitare debuisse. Non minus insistendum, quam inepte apposuerit illud ex omelia XI. secundum Iohannem: in populo Iudaeorum figuratur populus Christianorum; ibi figura, hic veritas, ibi umbra, hic corpus. Manifestum est enim, putavisse Lanfrannum, suffragari posse dictum hoc b. Augustini vecordiae suae, qua affirmat, non esse in sacrificio ecclesiae subiecta panis et vini post consecrationem, cum minime dictum istud b. Augustinus suum ad mensam probari possit retulisse dominicam. Postquam enim dixit: in populo Iudaeorum figuratur populus Christianorum, adiecit: ibi figura, hic veritas, ibi umbra, hic corpus, nec referri potest, (202) quod ponit ibi, ad mensam dominicam. Ibi enim, i. e. in populo Iudaeorum, figura, hic, i. e. in populo Christianorum, veritas. Ibi, i. e. in populo Iudaeorum, umbra, hic, i. e. in populo Christiano-

rum, corpus. Non minus insistendum etiam illud, quod posuit inter cetera de libro de trinitate: quid tam mundum pro mundandis vitiis mortalium, quam sine ulla contagione carnalis concupiscentiae caro nata in utero et ex utero virginali? Quid tam grate offerri et suscipi posset, quam caro sacrificii nostri corpus effecta sacerdotis nostri? Etsi enim nichil Christus dominus de commemoranda refectione interioris hominis per res exteriores, per sacramenta instituisset altaris, non minus tamen dicenda fuit caro Christi, nata in utero et ex utero virginali. Non minus dicenda erat effecta corpus sacerdotis nostri in utero virginali caro sacrificii nostri, secundum quod dicitur in simbolo maiori incarnatus prius de spiritu sancto ex Maria virgine, et ita adiungitur: et homo factus est. Non enim prius effecta est beatifica caro illa corpus sacerdotis nostri, quam factus est homo ille sacerdos noster in utero virginis, potuitque, si ita salvatori hominum placuisset, caro illa effecta in utero virginis corpus sacerdotis nostri appellari, caro sacrificii nostri, quia eam Christus dominus pro salute nostra optulit, etiam si nichil institutum esset ecclesiae de sacramentis altaris. Haec de scriptis beati (203) Augustini visum fuit Lanfranno subscribere, ut supra dixi, libello suo, in quibus secundum praescripta patrum eundem illi fuit, si obscura fuissent, ad manifesta, maxime eiusdem auctoris, sensa et dicta, quod quia non fecit, necessarium putavi in medium dare de eiusdem beati Augustini libris manifeste veritati attestantia, ut, cum certum dili-

gens lector habuerit, quae ego in medium do beatum scripsisse Augustinum, incertus esse non possit, quae Lanfrannus libello subscripsit suo, nullo modo, ad quod voluit, detorqueri potuisse, si impossibile est, dulcem et amaram aquam fontem ex eodem foramine emanare, manifestumque habeat, detestabili sacrilegio eum sibi maluisse tenebras, quam lucem, ut errans mitteret in errorem. Augustinus in III libro de catecizandis rudibus: de sacramento, quod accipit, cum ei bene commendatum fuerit, signacula quidem rerum divinarum esse visibilia, sed res invisibiles in eis honorari, nec sic habendam speciem benedictione sanctificatam, quemadmodum in usu quolibet, dicendum etiam, quid significet, cuius illa res similitudinem gerat.

Contra Faustum: quid sunt aliud quaeque corporalia sacramenta, nisi quaedam quasi verba visibilia, sacrosancta quidem, sed tamen mutabilia et temporalia?

In decimo de civitate Dei: qui putant, haec visibilia sacrificia Diis alienis congruere, illi vero tamquam (204) invisibili invisibilia et maiora maiori, meliorique meliora, qualia sunt purae mentis et bonae voluntatis officia, profecto nesciunt, haec ita signa esse illorum, sicut verba sonantia signa sunt rerum. In eodem: sacrificium ergo visibile invisibilis sacrificii sacramentum, i. e. sacrum signum est.

In III. de doctrina christiana: quaedam pauca pro multis, eademque factu facillima et intellectu angustissima et observatione castissima ipse domi-

nus et apostolica tradidit disciplina, sicut est bap-
tismi sacramentum et celebratio corporis et sanguinis
domini, quae unusquisque cum percipit, quo refe-
rantur, imbutus agnoscit.

In quaestionibus evangeliorum: per vini sacra-
mentum commendat sanguinem suum.

In XX. I. de civitate Dei: *non ergo illi di-
cendi sunt manducare corpus Christi, qui non
in membris computandi sunt Christi.* Et paulo
post ostendit, *quid sit non sacramento tenus,
sed revera corpus Christi manducare et eius
sanguinem bibere*, hoc est enim, in illo manere,
ut in illo maneat et Christus. Sic enim dixit, tan-
quam diceret: qui non manet in me, et in quo
non maneo, non se dicat aut existimet manducare
corpus meum aut sanguinem meum bibere.

In libro de unico bapt.: si enim ad res ipsas
visibiles, de quibus sacramenta tractantur, animum
conferamus, quis nesciat, eas ipse corruptibiles, si
autem ad id, quod per illas agitur, quis non videat,
non posse corrumpi, quamvis homines, per quos
agitur, pro suis moribus vel praemia percipiant,
vel poenas luant?

(205) In epistola ad Bonifacium episcopum:
si enim sacramenta quandam similitudinem rerum
earum, quarum sunt sacramenta, non haberent,
omnino sacramenta non essent.

In libro de fide ad Petrum diaconum: firmis-
sime tene et nullatenus dubites, Deo verbo, tem-
pore novi testamenti, sacrificium panis in fide et

caritate a sancta ecclesia catholica per universum orbem terrae offerri.

In expositione evangelistae *Iohannis*: ut quid paras dentes et ventrem? *Credere enim in eum, hoc est manducare panem vivum; qui credit in eum, manducat eum. Invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur. Infans intus est, novus intus est; ubi novellatur, ibi satiatur. In sequentibus: èt nos hodie accipimus visibilem cibum, sed aliud est sacramentum, aliud virtus sacramenti. In sequentibus: hunc panem significavit manna, hunc panem significat altare Dei. Sacramenta illa fuerunt, in signis diversa sunt, in re, quae significatur, paria. In sequentibus: hic est panis de coelo descendens, ut, si quis ex ipso manducaverit, non moriatur, sed quod pertinet ad virtutem sacramenti, non quod pertinet ad visibile sacramentum. In sequentibus: dominus noster Iesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquod rediguntur ex multis, namque aliud ex multis granis in unum conficitur, aliud ex multis acinis confluit. In sequentibus: ac per hoc, qui non manet in Christo, et in quo Christus non manet, procul dubio non manducat carnem eius, nec bibit eius sanguinem, (206) etiamsi tantae rei sacramentum ad iudicium sibi manducet et bibat. In sequentibus: exposuit nobis modum attributionis huius et doni sui, quomodo daret carnem suam manducare, dicens: qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo. *Signum, quod man-**

ducavit et bibit, hoc est, si manet et manetur, si habitat et inhabitatur, si haeret, ut non deseratur. In sequentibus: cum videritis filium hominis ascendentem, ubi erat prius, certe vel tunc videbitis, quia non eo modo, quo putatis, erogat corpus, certe vel tunc intelligetis, quia gratia eius non consumitur morsibus. In sequentibus: donec secundum ¹⁾ finiatur, sursum est dominus, sed tamen etiam hic nobiscum est veritas dominus. *Corpus enim, in quo surrexit, uno loco esse oportet, veritas autem eius ubique diffusa est.*

In sermone de corpore et sanguine domini: illud manducare, refici est, sed sic reficeris, ut non deficiat, unde reficeris. Illud bibere, quid est, nisi vivere? Manduca vitam, bibe vitam, habetis vitam et integra est vita.

In quodam sermone de verbis evangelii: quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur, ut manducetur, sed mortuos vivificat, quando manducatur. Reficit, sed non deficit. Manducatur Christus, vivit manducatus, quia surrexit occisus. In eodem: quod videtis in altari, panis est et calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant; quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus Christi et calix sanguis. In sequentibus: potest animo (207) cuipiam talis cogitatio oboriri: dominus Iehsus Christus novimus unde acceperit carnem, de virgine scilicet Maria, infans lactatus est, nutritus est, crevit, ad iuvenilem aeta-

¹⁾ *Legendum forsitan: seculum.*

tem perductus est, a Iudaeis persecutus est, ligno suspensus est, interfectus est, de ligno depositus est, sepultus est, tertio die surrexit, quo die voluit, ascendit in coelum, illuc levavit corpus suum, inde venturus est, iudicare vivos et mortuos, ibi est *modo sedens ad dexteram patris*. Quomodo est ergo panis corpus eius et calix, vel, quod habet calix, quomodo est eius sanguis? Ista, fratres, ideo dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur et aliud intelligitur. Quod videtur, speciem habet corporalem, quod intelligitur, *fructum habet spiritualement*.

In sermone de verbis evangelii: quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dicit: qui manducat carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo. Si in me manet et ego in illo, tunc manducat, tunc bibit, qui autem non in me manet, nec ego in illo, *etsi accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum*.

In libro sententiarum Prosperi: escam vitae accipit, aeternitatis poculum bibit, qui in Christo manet et cuius Christus habitator est, *nam qui discordat a Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit, etiamsi tantae rei sacramentum ad iudicium suae praesumptionis cotidie indifferenter accipiat*. Augustinus in libro III. de trinitate: aliquando ad hoc sit eadem species vel aliquantum mansura, sicut potuit serpens ille aeneus exaltatus in heremo, sicut possunt et literae, vel peracto ministerio transitura, sicut panis

(208) ad hoc factus in accipiendo sacramentum consumitur; sed quia haec hominibus nota sunt, quia per homines fiunt, honori, tanquam religiosa, possunt haberi, stupori, tanquam mira, non possunt.

Augustinus in III. de trinitate libro: sic ergo apostolus Paulus, quamvis adhuc portaret sarcinam corporis, quod corrumpitur et adgravat animam, quamvis adhuc ex parte atque in aenigmate videret, optans, dissolvi et esse cum Christo, et in semet ipso ingemiscens adoptionem, expectans redemptionem corporis sui, potuit tamen significando praedicare dominum Iehsum Christum, aliter per linguam suam, aliter per epistolam suam, aliter per sacramentum corporis et sanguinis eius; nec linguam quippe eius, nec membranas et atramentum, nec significantes sonos lingua editos, nec signa litterarum conscripta pelliculis corpus Christi et sanguinem dicimus, sed illud tantum, quod ex fructibus terrae acceptum et prece mistica consecratum rite sumimus ad salutem spiritualem in memoriam pro nobis dominicae passionis, quod cum per manus hominum ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur, ut sit tam magnum sacramentum, nisi operante invisibiliter spiritu Dei.

Idem in libro de LXX. quaestionibus contra Manichaeos: si fantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus, si fefellit Christus, non est veritas Christus. Est autem veritas Christus. Non ergo fuit fantasma corpus eius.

Item in libro de agone christiano, contra eos, qui non veram, sed fantasticam putant apparuisse

super Christum columbam, sicut, inquit, (209) non oportebat, ut homines falleret Dei filius, ita non oportebat, ut homines falleret spiritus sanctus.

IERONIMUS ad **HEBIDIAM**: nos autem audiamus, panem, quem fregit dominus deditque discipulis, esse corpus domini salvatoris, ipso dicente ad eos: accipite et comedite, hoc est corpus meum, et calicem, de quo iterum locutus est: bibite ex hoc, hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur, esse sanguinem domini salvatoris. Ieronimus in epistola ad Ephesios, *dupliciter*, inquit, *intelligitur* caro Christi et sanguis, vel spiritualis illa atque divina, de qua ipse ait: caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus, et: nisi manducaveritis carnem meam et sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam aeternam, vel *caro et sanguis, quae crucifixa* est, et qui militis effusus est lancea. Item in Isaia: secundum tropologiam possumus dicere, omnes voluptatum amatores magis, quam Dei, sacrificare in ortis et in liminibus, quia misteria veritatis non valent introire et comedunt cibos pietatis, dum non sunt sancti corpore et spiritu, nec comedunt corpus Iesu, nec bibunt sanguinem eius, de quo ipse loquitur: qui comedit carnem meam et bibit sanguinem meum, habet vitam aeternam, etenim pascha nostrum immolatus est Christus, qui non foris, sed in domo una et intus comeditur.

ITEM IN QUADAM OMELIARUM SUPER LEVITICUM: ut evidentius tibi patescant, quae dicuntur, de maiori sumamus exemplum, (210) ut

inde ad inferiora veniamus. Dominus ait: nisi manducaveritis carnem meam et sanguinem meum biberitis, non habebitis vitam aeternam. Caro enim mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus. *Quia omne opus eius sanctum est, et omnis sermo eius verus est, caro eius verus est cibus et sanguis eius verus est potus.* Carnibus enim et sanguine verbi tanquam mundo cibo et potu potatur et reficitur omne hominum genus. *Secundo* loco post illius carnem mundus cibus est *Petrus et Paulus et omnes apostoli, tertio discipuli* eorum, et *sic unusquisque* pro meritorum qualitate proximo mundus fit cibus. Hoc qui audire nescit, avertat fortassis auditum secundum eos, qui dicebant: durus est hic sermo, quis eum potest audire? Sed si filii estis ecclesiae, si evangelicis imbuti misteriis, si verbum caro factum habitat in vobis, agnoscite, quae dicuntur, quia domini sunt, ne, qui ignorat, ignoretur. Agnoscite, quia figurae sunt, quae in divinis voluminibus scripta sunt, ideo tanquam spirituales et non carnales intelligite, quae dicuntur. Si enim quasi carnales ista suscipitis, laedunt vos, non alunt; est enim in evangeliiis litera, quae occidat. Non solum in veteri testamento occidens litera deprehenditur, est et in novo testamento litera, quae occidat eum, qui non spiritualiter advertit. Si enim secundum literam sequaris hoc ipsum, quod dictum est: nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, occidit haec litera. Vis, tibi et aliam de evangelio proferri (211) literam, quae occidit?

Qui non habet, inquit, gladium, vendat tunicam et emat gladium. Ecce, haec littera evangelii est, et occidit. Si vero spiritualiter eam suscipias, non occidit, sed vivificans est in ea spiritus, et ideo sive in lege, sive in evangeliiis, quae dicuntur, spiritualiter suscipe, spiritualiter diiudica. Ut ergo diximus: omnis homo habet aliquem in se cibum, ex quo qui sumserit, si quidem bonus est et de bono thesauro profert bona, mundum cibum praebet proximo suo. Potest enim quis innocens et rectus corde mundum animal, ovis, videri et praebere audienti se mundum cibum, tanquam ovis, quae est animal mundum. Similiter et in ceteris; et ideo omnis homo, cum loquitur proximo suo, sive prodest ei ex sermonibus suis, sive nocet, mundum aut immundum ei efficitur animal, ex quibus vel mundis utendum est, vel immundis praecipitur abstinendum. Si secundum hanc intelligentiam dicamus summum Deum leges hominibus promulgasse, digna videbitur divina maiestate legislatio, si vero assideamus litterae et secundum quod vel Iudaeis visum est, vel vulgo videtur, accipiamus, quae scripta sunt, erubesco confiteri, tales leges Deum dedisse. Videbuntur enim magis elegantes et rationabiles leges hominum, verbi gratia Romanorum, Atheniensium, Lacedaemoniorum. Si vero secundum intelligentiam, quam docet ecclesia, accipitur Dei lex, omnes humanas plane supereminet.

Ambrosius in libro de officiis: ante agnus

offerebatur, offerebatur (213 ¹) vitulus, nunc Christus offertur, sed offertur quasi homo, quasi recipiens passionem, et offert se ipse quasi sacerdos, ut peccata nostra dimittat, hic in imagine, ibi in veritate, ubi apud patrem pro nobis quasi advocatus intervenit.

Item in epistola ad Hebraeos: in ista carne ac sanguine nil cruentum, nil corruptibile mens humana concipiat, sed vivificatricem substantiam atque salvatricem in pane et vino.

Item in eadem epistola: una est ecclesiae hostia, illae autem multae sunt; in Christo semel oblata est hostia potens ad salutem sempiternam. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Offerimus, sed ad recordationem mortis eius, et una est hostia, non multae. Quomodo una et non multae? Quia semel oblatus est Christus, hoc autem sacrificium exemplum illius est; id ipsum, semper id ipsum proinde hoc est sacrificium. Alioquin, quam in multis locis offertur, multi Christi sunt. Nequaquam, sed *unus ubique est Christus*, et hic plenus existens, et illic plenus. *Sicut enim, quod ubique offertur, unum corpus est et non multa corpora*, ita et unum sacrificium. Pontifex autem ille est, qui hostiam nos mundantem obtulit. Ipsam offerimus et iam nunc, quae tunc oblata quidem consumi non potest. Quod nos facimus, in commemorationem fit eius, quod factum est; hoc, enim, facite, inquit, in meam

¹) *mendum codicis pro: 212.*

commemorationem. Non aliud sacrificium, sed ipsum semper offerimus, magis autem sacrificii recordationem operamur; (214¹) substantiam in pane et vino; plane, si salvatricem, etiam consecratricem Ambrosius intellexit substantiam, nec aliam eo loco, quam Christi corpus et sanguinem. Quod autem non simpliciter, sed cum additamento coniunctim dicitur: in sacramento frangitur, in sacramento accipitur Christi corpus, nichil contra incorruptibilitatem et impassibilitatem corporis Christi intendit. Si enim dicat quis: honoro apostolicum in cardinali suo vestiendo, pascendo, in balneis fomentando, nullus quasi mentienti contradicit, cum tamen verum esse minime ambigat, apostolicum Romae positum minime, quantum ad proprietatem personae suae, vestem contingere, corporis alimenta accipere, balnearum fomenta sentire; nam si dicat quis: magno dedecore apostolicum afficiam in cardinali suo colafizando, vulnerando, a domo vel ecclesia expellendo, et ita faciat, nullus apostolicum, Romae positum, quantum ad proprietatem suae personae, colafizatum, vulneratum, domo vel ab ecclesia contendit esse expulsum. Quod dicendi genus etiam modicum eruditus ignorare non potest, ut facile perpendat, cum dicitur, in sacramento frangi per partes, in sacramento accipi corpus Christi, nichil dici contra incorruptibilitatem corporis Christi et impassibilitatem, quomodo nichil

¹) *Ibi plura deesse, interruptus significat connexus. In ipso autem cod. legitur p. 214, quasi nihil desit. Ann. e d d.*

dicitur contra constitutionem hominis, qui minime esse potest, nisi vivat, sentiat et discernat, si quis dicat, iacere humi hominem mortuum, sed potius non esse iam hominem manifestare ipsum, quod non simpliciter, sed cum additamento dicitur: hominem mortuum. Iterum dico insistendum contra Lanfranni vecordiam, suscepisse *papam Leonem manifeste in sermone* (215) suo illo, agere contra male sentientes de vera in persona Christi humanitate, non contra male sentientes de sacramentis vel rebus sacramentorum in sacrificio ecclesiae, hoc tantum admonuisse ex occasione susceptae contra eos, qui male sentiebant de vera Christi divinitate vel humanitate, disputationis, in eo, quod posuit: *hoc enim ore sumitur, quod fide creditur*, irrationabiliter auditores suos mensae dominicae communicare, si cum eis sentirent, contra quos agebat, qui veritatem humanae naturae Christo domino auferebant, qui commemorationem carnis et sanguinis sui facere per sacramenta altaris fideles nullo modo instituisset, si veram carnem et sanguinem de virgine minime absumpsisset, nec poterit Lanfranni vecordia in omni ante vel post Leonem papam scriptura proponere, notatum vel habitum fuisse ab ecclesia haeticum aliquem pro eo, quod sentiret, *ad interiorum hominum pertinere refectionem fidelium de corpore et sanguine domini Dei sui, et spiritualiter, non corporaliter, excepto, quod ad sacramentum pertinet, fieri in homine interiori, solum sacramentum visibile hominem exteriorum ore visibiliter sumere.* Hic

si Lanfrannus occurrit et dicit, etiam hoc tempore posse recte salubriterque sentiri et perniciose errari in his, de quibus usque ad hoc tempus nec ante nec post Leonem papam aliquis recte senserit, quod ab ecclesia fuerit iure approbatum, vel erraverit, unde merito pertinacis animositatis suae ab ecclesiae fuerit communione expulsus, ita videlicet, quae ego sentiam non minus, quam si ante me similiter mihi erraverit (senserit) aliquis, dampnanda esse contendens, hoc me respondisse sufficiat (216^a), manifestissimum futurum esse omni erudito in scola Christi, quem non gravabitur mora et lima, hoc contra Lanfrannum rescripto nichil me tempore isto, quantum ad mensam dominicam, contra veritatem sensisse, omnia, quae de ea scripsi, a propheta, ab apostolo, ab ipso prophetarum et apostolorum domino et invictissimis in ecclesia veritatis assertoribus, Augustino, Ambrosio, Hilario, Gregorio, ut ceteros omittam, accepisse, qui et de regeneratione, *et de refectione fidelium spiritualiter senserunt et ad interiorem utrumque referunt hominem.* Unde Augustinus in evangelio: novus intus est, infans intus est; ubi novelatur, ibi reficitur. Insolenter Leo papa dixisse videtur aliquibus, dum dixit: *hoc enim ore sumitur, quod corde creditur;* sed in nullo aliter scripsit papa Gregorius in omelia paschali, ubi dicit: qui sanguis super utrumque postem ponitur, cum *non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.* Negari enim non potest, dixisse papam Gregorium: ore corporis sanguis Christi

hauritur, nichilominus negari poterit, supple-
 dum esse, quod dixit, ut adiicias, sicut adiicit b.
 Augustinus: in sacramento, ut ita totum constet:
*sanguis Christi super utrumque postem ponitur,
 cum non solum ore corporis hauritur in sacra-
 mento, sed etiam ore cordis in re sacramenti.*
 Alioquin, si pervertere contendit Lanfrannus, quod
 dicit Gregorius papa: ore corporis hauritur sanguis
 Christi, sicut pervertit, quod dicit papa Leo: hoc
 enim ore sumitur, ut putet quis, ore corporis
 Christi sanguinem hauriri, contradicit ipse b. Gre-
 gorius in eadem omelia in eo, quod consequenter
 apponit: in utroque poste sanguis ponitur, quando
 sacramentum cum ore ad redemptionem sumitur,
 ad imitationem quoque intenta mente cogitatur.
 Contradicit etiam in moralibus, ubi dicit, verba
 Iob: si non dixerunt (216^b) viri tabernaculi mei,
 quis det de carnibus eius, ut saturemur, ex voce
 redemptoris posse intelligi, de cuius carnibus, in-
 quit, saturari cupierunt tam Iudaei persequentes,
 quam gentes credentes, qui esurientem animam
 suam desiderant per cotidianum immolationis sa-
 crificium de Christi carnibus satiari. Indifferenter
 enim sentiendum est tam de carne, quam de Christi
 sanguine, quae sunt res sacramentorum altaris, ani-
 mam satiari, unde Ieronimus in Isaia: pascha
 nostrum Christus in domo una est et intus man-
 ducatur; et Augustinus: qui manducat intus, non
 foris, qui manducat corde, non qui premit dente,
 et illud: novus intus es, infans intus es, ubi novel-
 laris, ibi reficeris. Non dissimiliter papae Leoni

vel Gregorio papae locutus est in oratione mensali is, qui dicit: quod ore contingimus, domine, puro corde capiamus, et de munere temporali salus nobis aeterna proveniat. Salus enim aeterna provenit nobis, si corpus Christi, i. e. rem sacramenti puro corde accipimus, dum corpus Christi in sacramento, i. e. in pane sancto altaris, quod est munus temporale, accipimus. Eodem modo et in alia oratione, ubi dicitur: ut, quae ore contingimus, puro corde capiamus.

Propositis de authenticis scripturis, quae visa sunt satis Lanfranni extirpare vecordiam, oportunum putavi, ante oculos ponere etiam, quam manifeste ad nichilum deducat Lanfranni vecordiam, si omnis alia auferatur scriptura, sola haec, quae in mensali libro (217) ab omni sacerdote oratio more Romano domino sub silentio prolixior funditur, quia Lanfrannus solius cuiusdam brevis orationis, quae ita incipit: perficiant in nobis, domine, tua sacramenta, quod continent verba, ad vecordiam suam sacrilega interpretatione detorsit. Te igitur, inquit sacerdos more Romano mensam dominicam celebrans, clementissime p. p. i. x. f. t. d. n. s. r.¹⁾ et petimus, uti accepta habeas et benedicas haec dona, quae dicta i. e. accepta habeas et benedicas; quid sibi voluit Lanfranni vecordia non attendere, non esse absumptionis, eversionis vel destructionis dicta, sed provectionis in melius et sublimationis? Unde

¹⁾ *cfr. Canon missae: pater, per Iesum Christum, filium tuum, dominum nostrum supplices rogamus. Ann. e d d.*

Augustinus in psalmis: quando benedicit nobis Deus, facit nos sanctiores, facit feliciores. In sequentibus: hanc igitur oblationem s. n. s. e. c. f.¹⁾ tuae q. d., ut placatus accipias. Quanam putare potuit vecordia Lanfranni, quod dicitur: placatus accipias, interpretari oportere: placatus evertas, destruas et absumas? In sequentibus: hanc oblationem t. d. i. o. q. b.²⁾ ascriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris. Quae vecordia opinari potuit, quod dicit sacerdos: facere digneris tu, Deus, ratam, rationabilem, acceptabilemque hanc oblationem, i. e. panem hunc atque vinum, cum ei in omnibus benedixeris, interpretari oportere: facere digneris absumptam, eversam atque destructam per subiecti corruptionem hanc oblationem, quod necesse habes intelligere hunc panem atque vinum, (218) quasi in nullo ei benedixeris, in nullo eam ad maiores effectus, ad maiorem provexeris dignitatem, maxime cum institutor orationis ita prosequitur: ut fiat ipsa oblatio non omnibus, sed nobis, corpus et sanguis dilectissimi filii tui? Pronominis enim vis ad hoc valet, quia, si per subiecti absumeretur corruptionem, ut non per subiectum superesset altaris oblatio, sed adesset recens facta per generationem subiecti portiuncula carnis, portiuncula sanguinis, non solum hominibus, sed *etiam pecudibus, avibus, putredini atque igni-*

¹⁾ *cfr. Can. Miss.: servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae, quaesumus, domine.* *Ann. edd.*

²⁾ *cfr. ibid.: tu, Deus, in omnibus, quaesumus, bene.* *Ann. edd.*

bus corpus fieret Christi et sanguis oblatio altaris. Nec solum hoc, sed et verbum ipsum: fiat, a praecedentibus verbis perpendendum est sacerdotalis deprecationis. Inopinabile est enim, ut, qui prius deprecatur: accepta habeas et benedicas, cum in sequentibus dicit: corpus nobis fiat et sanguis, aliter fieri, quam per acceptationem et benedictionem ullo modo putaverit, unde et sequitur, quod pervertere nullius valeat pertinacis cordis perversitas: accepit panem, benedixit necessario pani, quod revera interpretandum est: in aliud, quam habebat, privilegium dignitatis provexit; fregit necessario panem, dedit necessario panem, accipite necessario panem, manducate ex hoc necessario pane, et quasi quaereretur: cur, domine, qui admonere soles: videte, ne graventur corda vestra in crapula et ebrietate, modo contra te ipsum, postquam satisfacimus corporis sustentationi, adhuc instas et dicis: manducate ex hoc, causam adorationis non gravatur exponere, (219) dicens: hoc, i. e. haec res, i. e. hic panis est meum corpus. Quae ipsius veritatis enuntiatio, i. e. hic panis est meum corpus, nulla poterit veritate constare, si subiectum panis sacrificio Christi abstuleris. Quod item: gratia agens calici, i. e. vino, quod in calice erat, dominus benedicit, non est intelligere, quia non est esse, non provehi in melius omne, cui benedicitur. In sequentibus: offerimus maiestati tuae de tuis donis ac datis, quod necessario intelligitur de multitudine creaturae tuae vel de creatura panis et vini, panem sanctum, quod necessario

intelligis panem, qui propria locutione dicitur panis. Hic enim sanctificari potest ad sacerdotum praeces, quod minime potuit panis tropicus, qui de coelo descendit, qui ipsos potius sanctificat sacerdotes. Postquam autem posuit panem sanctum ad distinctionem panis mensae communis, panis non sancti, ne non satis distinxisse videretur prosequitur: vitae aeternae; subauditur: collativum vel profuturum. Ante coenam enim Christi domini ad sustentandam solam corporis valuit panis sensualis vitam labilem; ut ad restituendam animae vitam valeret aeternam, instituit in coena dominus, vocans ea, quae non sunt, tanquam ea, quae sunt, in parvis non parvus. Quod autem sequitur: supra quae propicio ac sereno vultu r. d.¹⁾, unde videri potuit, non dicam Lanfranno, multae eruditionis viro, sed idiotae, sed coeco cuicumque, necessarium vel dignum putavisse ecclesiam, deprecari Deum patrem, ut propicio ac sereno vultu dignetur respicere supra totum Christi corpus vel partem corporis, quod in incorruptibilitatem promotum et in impassibilitatem nullum in se reliquit divinae locum propiciationi? In eo etiam quod sequitur: et accepta habere s. a. h. d. m. p. t. a. et s. p. n. a. et quod t. o. s. s. t. m.²⁾, quam (220) vere

¹⁾ *cfr. Can. Miss.: respicere digneris, Ann. ed d.*

²⁾ *cfr. ibid.: sicut accepta habere dignatus es munera pueri tui iusti Abel et sacrificium patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus sacerdos Melchisedech, Ann. ed d.*

lux in tenebris lucet, et Lanfranni eam tenebrae non comprehenderunt! Quis enim vecors, quis omnino insanus audire poterit aliquem paria inducentem, Christi corpus, et Abel atque Abrahae agnos, et Melchisedech panem atque vinum, ut probabile videri possit, dignum Deo esse, supplicare patri omnem sacerdotem, ut incomparabiliter superiora non aliter accepta habeat, quam in inmensum incomparabiliterque inferiora? In sequentibus: iube haec perferri per manus a. t. i. s. a. t.¹⁾, quae alia perferri posse putavit ecclesia, nisi panem et vinum in sublime altare Dei? Quod exponens ipse institutor precis sacerdotalis adiecit: in conspectu divinae maiestatis tuae, irritam faciens Paschasii recordiam, qui putat, intelligi oportere, quod dicitur: per manus angeli: per operationem Christi domini, qui magni consilii angelus a propheta nominetur; in quo ab eo b. dissentit Ambrosius, utens in oratione non singulari numero, ut dicat: per manus angeli, sed plurali, dicens: per manum angelorum tuorum; et quod sequitur: in sublime altare, ita Paschasius pervertit, ut putet, intelligi oportere: in ipsam Christi corporis massam, ut, destructo per subiecti corruptionem pane, faciat aliquam partem ad manus sacerdotis iterum submittebam per subiecti generationem in ipsa Christi corporis massa. Quod usque eo falsum est, ut impossibile sit apud Dei omnipotentiam, apud omnem hominum industriam, facere nunc per ge-

¹⁾ cfr. *Can. Miss.: angeli tui in sublime altaretuum, Ann. ed d.*

nerationem subiecti, nisi quod minime nunc existeret aliquid, in quo etiam philosophorum eminent sententia, de non extantibus intelligi oportere (221) rerum esse primordia. Simul de Christi corporis massa, quia incorruptibilis est et insecabilis, minime adesse in altari pars aliqua poterit, pro qua, ut loco restituatur suo in ipsa Christi corporis massa, putaverit postulandum esse ecclesia. In sequentibus: per quem, inquit sacerdos, haec omnia, domine, semper bona creas, sanctificas, vivificas, benedicis. Quae enim haec bona omnia, nisi panis viniue creaturam et huiusmodi alia, quae visibus humanis semper vis divina procurat et efficacia spirituali in religione sanctificat, vivificat? Sanctificat autem, vivificat, benedicit, i. e. talia haec, quamvis corruptibilia et visibilia, invisibiliter reddit, per quae benedicantur, sanctificentur, vivificentur in ecclesia filii lucis, secundum quod dicitur: sit fons vivus, non ut incipiat aqua animatum aliquid esse, secundum quod dicitur, laeta dies, quod in ea laeta contingant. Perferri autem ad conspectum divinae maiestatis populi Dei sacrificia est: ipsos angelos, qui templa Dei sunt, in quibus habitat summa divinitas, recte gestis adgratulari populi christiani, conspiciente ipsam adgratulationem divina maiestate in templo suo, cui praesens semper adest in eis.

Quomodo accipienda sint secundum sanam doctrinam, quae prolixior libri mensalis oratio continet, ante oculos posito, etiam de brevioribus, quid et ipsa secundum sanam doctrinam attendendum

afferant, tacendum non esse putavi. Coelesti misterio, inquit sacerdos in natali domini, pascimur et potamur. Longe aliud dixisse videtur, qui dicit, pasci et potari fideles corpore Christi et sanguine per misterium, quod Christus suos magister coelestis (222) instituit, quam Lanfrannus, qui Christi corpus, quod incorruptibile et impassibile negare non audeat, quod novit ex scripto Petri apostoli coelo esse susceptum usque in tempora restitutionis omnium, asserit tamen, manibus sacerdotum sensu aliter, praeter quod ad sacramentum pertinet, tractari, frangi atque dentibus atteri. Si enim ita esset, nichil in hoc negotio per misterium fieret, nisi per misterium fieri contendis insanus, quicquid manu, pede, vel toto corpore, quantum ad tactum, sentiunt, vel etiam gustant, odorantur et in corporalibus audiunt, quicumque oculis corporis omnino sunt privati. Ad idem necessario mittit etiam illud, quod postulat sacerdos: munera nostra natalitatis hodiernae misteriis apta proveniant, ut, sicut homo genitus idem refulsit Deus, sic nobis haec terrena substantia conferat, quod divinum est. Sicut enim Christi domini persona ex Deo et homine constat, ita Christi sacrificium de visibili et invisibili, de sacramento et re sacramenti; tunc autem, quod divinum est, nobis confert terrena, panis atque vinum, substantia, si accipimus, sicut adortatur b. Augustinus in libro ad neofitos, in altaris pane, quod pependit in cruce, et bibimus in calice, i. e. in vino altaris, quod Christi manavit e latere. Homo enim, quem sibi assumpsit sapientia Dei,

conferebat attendendam in se deitatem, dum talia diceret, talia faceret, qualia dicere vel facere, nisi homo Deus, nequaquam potuisset. Unde apostolus Iohannes: quod vidimus, quod audivimus et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae; et milites ad comprehendendum eum missi cum (223) eum potius venerati fuissent, nunquam inquit, sic locutus est homo, et rursum consputo, colafizato, clavis fixo homine, inconsputus, incolafizatus, quia impassibilis, permansit verbum Deus. Ita panis et vinum altaris, quae terrenam substantiam sacerdos in oratione appellat, dum ad attendenda in se Christi corpus et sanguinem in altari consecrantur, et ita manibus contrectantur, franguntur, ignibus est quando absumuntur, atque dentibus atteruntur, incontrectatum manibus, quia constitutum in coelo usque in tempora restitutionis omnium, inconfractum, inabsumptum ignibus, inatritum dentibus, quia impassibile permanet Christi corpus, unde apostolus: etsi noveramus Christum secundum carnem, sed iam non novimus, et beatus Augustinus: intellige, esto scripturae capax, attende, aliud subiici oculis tuis, aliud innui cordi tuo; per partes manducatur Christi corpus in sacramento, et manet integer totus in coelo, manet integer totus in corde tuo. Alibi: de perceptis, inquit sacerdos, muneribus gratias exhibentes, beneficia potiora sumamus. Percepta munera, cui non datur, melius intelligere, panis vinique subiecta accipiat, certa consecratione mistica et facta in religione sacramenta, ad quae percipienda per corpus dum fideles accedunt, ita

sacerdos pro se intendit ac populo: gratias exhibemus tibi, domine, quod etiam temporalem ac mutabilem creaturam, panem atque vinum, quae de mensa tua secundum corpus accipimus, ad salutem nobis animae valere instituisti; praesta, ut, (224) qui sacramenta accepimus, quod minus est, (minus est enim signato signum omne) beneficia potiora, sacramentorum res in homine interiore sumamus; qui per sacramenta, quod minus est, in corpore reficimur, per res sacramentorum, quod potius est, mente reficiamur. In sequentibus: quae solemni, inquit sacerdos, officio celebramus, purificatae mentis intelligentia capiamus; tanquam dicat: solenne nobis est, institente Christo domino, altaris sensualiter sacramenta accipere, sed quanti istud, nisi etiam, quae sacramentorum sunt, intelligenter consequimur? In sequentibus, misterium, inquit sacerdos, cuius nos participes esse voluisti, et puro cernamus intuitu et digno percipiamus affectu. Qui ita dicendum esse instituit, longe ab huius temporis dissensit sacerdotibus, qui, volentes agere de Christi sacrificio et intelligere, compescunt potius atque damnant contra praeceptum Christi dicentis: scrutamini scripturas. Alibi, plebis tuae, inquit sacerdos, domine, dona sanctifica, ut, quae tuo grata sunt instituto, gratiora fiant Pauli supplicantis patrocinio. In hac oratione manifeste Lanfranni condempnatur vecordia, dum dicitur: domine, sanctifica plebis dona, quod non potest intelligi: destrue plebis dona; et quod dicitur: grata sunt instituto, panem et vinum Christum obtulisse, panem et vinum

ecclesiam adhuc Christi domini instituto offerre manifestat, sed sanctificanda potius, quam ever-tenda. Non aliud dat intelligi (225) oratio, quae dicit: illius salutaris capiamus effectum, cuius per haec ministeria pignus accepimus. Quod dicit alia oratio: sacramenti tui sumpta benedictio, quod tantum est, quantum si diceret: benedictum sacra-mentum tuum sumptum, minime panis et vini sub-iecta per subiecti sui corruptionem intelligi permittit absumpta. Alia oratio: cuius exequimur, inquit, actionem, sentiamus effectum, ad tractatum mittit b. Augustini de doctrina christiana, ubi dicit, tra-ditionum prioris populi accionem novum populum submovisse, intelligentiam tenuisse, ubi legitur: pauca pro multis, eademque factu facillima et intellectu augustissima et observatione castissima, ut sunt bap-tismus et eucaristia; dominus ex apostolica tra-didit disciplina; ubi, quod dicitur: accionem, intel-ligi non potest, nisi per res exteriores. Quod ore contingimus, domine, mente capiamus, et de mu-nere temporali salus nobis aeterna proveniat, qui, ut a sacerdote in mensali libro dicatur, instituit, quod sacramentum esse putabat, munus temporale appellavit; et iure panis et vinum temporalia et mutabilia esse dicuntur, unde manifesta fit Lan-franni vecordia, qui dicit, carnem Christi esse sa-cramentum carnis Christi, cum Christi caro et pro parte et pro toto non mutabilitati, non sit obnoxia temporis. Dicit enim apostolus: etsi noveramus Christum secundum carnem, sed iam non novimus. Ut, quae ore contingimus, inquit sacerdos, puro

corde capiamus. Quam manifesta sacramentorum et rerum distinctio! Tanquam dicat: de anima constamus et corpore; sacrificium tuum de visibili (226) constat et invisibili, sacramento et re sacramento; praesta ergo, ut, dum secundum visibile nostrum, quod visibile habet sacrificium tuum, sumimus, i. e. sacramentum, etiam invisibili nostro, i. e. cogitatione, sumamus, quod invisibiliter habet altaris sacrificium, i. e. corpus tuum, ad adquiescendum nobis in illo, ad gratias agendum, quod, etsi est visibile, non tamen, usque in tempora restitutionis omnium, aspectibus redditur hominum.

Cui gravis non erit mora et lima, unde dominus inquit: scrutamini scripturas, insistat in mensali libro quam plurimas, et maxime illam, ubi dicit sacerdos: ut et magnifico sacramento, quod sumpsimus, significata veneremur et in nobis potius edita gaudeamus; illam etiam, quam b. Ambrosii scripta et sensa autenticam asserunt: haec oblatio, domine, ab omnibus nos purget offensas, quae in ara crucis etiam totius mundi tulit offensas; quibus verbis manifestum habes, non aliam oblationem, quam eam, quam obtulit Christus, offerre ecclesiam. Unde b. Ambrosius: pontifex ille est, qui hostiam nos mundantem optulit, ipsam offerimus, etiam nunc, quae tunc oblata consumi non potest, non aliud sacrificium, sed ipsum semper offerimus, magis autem sacrificii recordationem operamur. Ad idem mittit etiam oratio illa, quae dicit: ut quod nobis est in praesenti vita misterium, sit aeternitatis auxilium, et illa alia, quae dicit: et spi-

ritualibus nos instruant alimentis et corporalibus tueantur auxiliis.

(227) Augustinus in libro de LXXX quaestionibus contra Manichaeos: si fantasma fuit corpus Christi, fefellit Christus. Si fefellit Christus, non est veritas Christus; est autem veritas Christus, non igitur fuit fantasma corpus eius. Item in libro de agone christiano contra eos, qui non veram, sed fantasticam putant super Christum apparuisse columbam, sicut, inquit, non oportebat, ut homines falleret Dei filius, ita non oportebat, ut homines falleret spiritus sanctus, sed omnipotenti non fuit difficile, verum corpus columbae sine aliarum columbarum ministerio procurare, sicut ei difficile non fuit, verum corpus sine viro in virgine fabricare. Quod dicit b. Augustinus: si fantasma fuit corpus Christi, tantum indissimulabiliter est, quantum si dixisset: si humanis oculis praetendit, quod non habuit, corpus, si se simulavit, corpus habere, et non habuit; non dissimiliter, non minus constanter dici oportet: si praetendit Christus aspectibus humanis panem in altari, quasi ibi sit panis, cum post consecrationem non sit panis omnino sensualiter in altari, si simulat Christus, haberi in sacrificio suo panem, cum non sit in eo panis post consecrationem omnino, fallit homines Christus. Si fallit homines Christus, non est veritas Christus. Est autem veritas Christus. Non igitur praetendit panem oculis humanis in altari, cum non sit omnino panis in altari, non simulat Christus, panem habere sacri-

ficium suum, quod non habeat panem omnino post consecrationem. Non dissentit b. Gregorius a beato Augustino in omelia paschali, ubi dicit: nichil simplex veritas per duplicitatem fecit, talem se eis exhibuit in corpore, qualis apud illos erat in mente. (228) Qui affirmant, auferri per corruptionem subiecti ea, quae consecrantur in sacrificio Christi, subiecta panis et vini, contra veritatem locuntur doctrinae prophetae et apostolicae, contra veritatem doctrinae Christi; qui affirmat, corpus Christi vel pro parte vel pro toto manibus sacerdotum tractari super altare, manibus frangi, dentibus atteri, excepto, quod ad sacramentum pertinet, contra veritatem loquitur et dignitatem doctrinae Christi; qui affirmat, corpus Christi, postquam ad dexteram patris sedit, vulnerari non posse, vel frangi vel atteri, excepto, quod ad sacramentum pertinet, secundum veritatem loquitur et dignitatem doctrinae prophetae et apostolicae, doctrinae domini Iesu. Qui affirmant, Christi carnem vel pro parte, vel pro toto recens factam per generationem subiecti adesse sensualiter in altari ablato pane per corruptionem subiecti, contra auctoritatem loquuntur aeternae et incommutabilis veritatis.

Hormisda papa ad Iustinum Augustum: ut, qui ante tempora erat filius Dei, fieret filius hominis et nasceretur hominum more, matris vulvam natus aperiens et virginitatem matris deitatis virtute non solvens —. Sed quid ad Hormisdam, vel alium aliquem, pergat aliquis, impletum est, inquit evangelista, tempus Elisabeth, ut pareret, et peperit

filium, et consequenter impleti sunt, inquit, dies Mariae, ut pareret et peperit filium. Numquid interpretari potest vel insanus, quod dicit evangelista: peperit filium, secundum quod anilis non tacet fabula, Christum de matre subascella, vel per costas natum fuisse? De sollempnitate pariendi etiam evangelista, ubi dicit, ut facerent de eo, sicut scriptum est in lege domini: omne masculinum adaperiens vulvam¹⁾

¹⁾ *Hic finis codicis; sequentia abrupta sunt. Ann. edd.*

SPICILEGIUM
E M E N D A T I O N U M
EX REPETITA LECTIONE
CODICIS (BERENG.) WOLFENBUTTELANI

(FECIT C. P. C. S.)

Decbr. 1833.

EMENDATIONES

IN

BERENGARIUM DE SACRA COENA.

- P**ag. 24. lin. 2. Codex minime habet „vigilancia” sed „vigilantia” sic etiam paulo inferius lin. 12. „reverentia”
- p. 26. l. 7. „fuerat culpa”
- l. 11. leg. „qui in errorem mittuntur” [quod etiam ex antecedenti „simul” et seq. antithesi „missi in errorem” apparet]
 - lin. 24. 25. falsa lectione Berengarii sententia misere distorta et perversa est. Cod. satis luculenter habet „unde scandalizentur *non ecclesiae*, ut ad calumn. m. scribis, *sed* qui”
- p. 27. l. 23. „pers. *deus*” [non „dominus”]
- p. 29. l. 16. „ut *et* nos” [non „etiam”]
- p. 30. l. 7. „poterit inv.”
- l. 18. „qui tantam *in hoc* scripto”
 - l. 28. „quam inc. calle”
- p. 32. l. 10. „qui [non quia”] humil. vix.”
- l. 12. „gladium spiritus [sancti deest in Codice] *quod* est”
 - l. 21. „et *quod* mea”
 - l. 28. „quia ad praefer.”
- p. 34. l. 13. cP [i. e. proh! interjectio] huiuscemodi. [Nusquam in Codice occurrit signum cP significans

„post”. Intelligenda igitur hoc loco est interiectio „proh!” nisi forte „Prohuiusmodi” eadem significatione accipere velis, qua „prohinc” est ap. Apulej.] (CP. hisce litteris typheta compendium scripturae ms. imitatus est.)

- p. 35. l. 1. falso legitur „et, si”. Codex recte habet „quasi”
— l. 12. „liniamenta”
— l. 23. „promulgata est in te”
- p. 38. l. 12. „quam vere”
— not. 1. l. 7. „scripsisti quia”
— — l. 10. „in scripturis”
- p. 39. l. 24. et 25. „nobilium Papiæ”
- p. 40. l. 24. „circumsedebant”
- p. 41. l. 4. [scribendum] „Magnum”
— l. 7. „Pireneum”
— l. 18. „itē [i. e. „item”] fecisti”
- p. 43. l. 6. [delendum „te”] „qui de diversis”
— l. 9. [post „quibusdam” scriptum erat „audiente me”,
rasura autem haec verba sublata sunt]
- p. 44. l. 6. „in tot conciliis” [satis luculenter in Codice]
— l. 19. „sat egeram” [disiunctum in Cod.]
- p. 45. l. 7. „iam non novimus” [abest „etc.”]
— l. 18. „insubiecta” [iunctim]
- p. 46. l. 2. „profecto esse non”
— l. 4. „iam supra” [non „superius”]
- p. 47. l. 24. luculentissime in Cod. est „iuberet”
— not. 1. [Accuratius Codicem si inspexissent Editores
conjectura supersedere potuissent. Delenda igitur
haec nota 1.]
- p. 48. l. 27. „tot conciliis” [non „ecclesias” quod etiam ex
antecedentibus (praesertim lin. 23.) apparet]
- p. 52. l. 19. „ore proferrem”
- p. 53. l. 5. „insumeret”

- p. 54. l. 24. „me haereticum”
- p. 55. nota 1. „in errorem”
- p. 56. l. 1. „veritati praeiudicare”
- p. 57. l. 16. „mihi invidiam”
- p. 59. l. 27. „insistas”
- p. 60. l. 25. „insistendum est”
— l. 26. „concludas”
- p. 61. l. 3. secundum Codicis scripturam ita distinguendum videtur: „fugit tuam, non turpitud. erat, sed virt. et gloriae. Nec pudori etc.”
— l. 6. „non fugere” [abest „re” —]
- p. 62. l. 23. „excellantiae”
- p. 63. l. 3. „similitudinem”
- p. 64. l. 12. „panem *in* carnem”
- p. 65. l. 2. et 3. Negligentia Editorum notissima verba sunt corrupta, legendum cum Codice „sinite illos, coeci *sunt* duces coecor.”
— l. 3. „tradidisse. Verum, inquit ego, dicis”
— l. 23. [— deleta sunt h. l. verba „in altari”, quae in margine (sub nota 2.) supplentur]
- p. 65. nota 1. l. 2. „panis *et* vini subi.”
— — l. 4. „vinum altaris post consecr. s. s.”
— — l. 7. „porciuncula”
- p. 66. l. 1. „ullo modo permittitur” [littera *n* initio vocabuli „nullo” deleta est et permittatur mutatum in permittitur, sicut etiam pag. anteced. l. 22. olim legebatur „excludat”]
- p. 67. l. 10. [deest „*beatus*”]
— l. 17. „*aut* vinum”
— l. ult. „non facile *tibi* innot.”
— nota 1. l. 2. „accipi *non* pot.”
- p. 69. l. 13. „cibo ac potu”
- p. 72. l. 23. 24. „de Christi corp.”

- p. 73. l. 19. „indigne”
 — l. 23. „et vinum *altaris* sol.”
- p. 75. l. 5. „*superioribus* dictis”
 — l. 8. „esse *omnino* constituit”
- p. 77. l. 6. Corrige „*viam* respondendi” [quam lectionem Edd. ex solo verbo „*praepedire*” divinare potuissent, si minus luculenta fuisset scriptura Codicis]
- p. 78. l. 4. „*vel* panis”
- p. 79. l. 10. usque ad p. 80. l. 3.: „Quando enim — — — accepit” [Haec omnia in margine Codicis ab eadem manu quae Codicem repetita lectione correxisse et auxisse videtur adscripta sunt. Majore igitur iure, quam brevissima interdum omissarum orationis partium supplementa tanquam *Ann. Cod.* separatim textui ab Editoribus erant subiicienda. Qua in re non constanter ubique, versus finem Codicis etiam negligenter versati sunt Edd.]
- p. 79. l. 15. „*quae* facta sunt”
 — nota 1. l. 12. „*sicut* factum est *corpus* Adam”
- p. 80. l. 1. Pessime „*propter*”. Codex habet „*p̄ter*” hoc est *praeter*
 — l. 2. „*vel* artificis studio” [Sic est in Codice. Melius quidem „*aut*”]
- p. 81. l. 21. [Cod. vitiose, ponere]
 — l. penult. „*Socr. non esse* cont.”
- p. 82. l. 25. „*sacramentum*”
- p. 83. l. 11. „*quam* dicitur” [respondent sibi, non minus—quam. Miror rem tam apertam fugisse sagacitatem Editorum]
- p. 84. l. 10. „*quicquam* pro te”
 — l. 14. 15. „*propria* — — locutione (abest „*modo*”) *substuleris*”

- p. 85. nota 1. l. 9. „cum contradict. esse” [non est in Co
ad contrad., quam particulam contra sensum
grammaticam intruserunt Editores]
- — l. ult. „*vel* est corp. Chr.”
- p. 86. l. 3. Corrige et ita distingue: „Quid ergo dic
quando scriptura corpus Christi panem vocat
Ut etc.”
- p. 87. l. 1. „qui *et* ipse” [non „*est*”]
— l. 9. [Et hoc loco ut saepius notissimum illud ac
bendi compendium „*ihf*” non erat ita („Iesus
typis exscribendum, unde apparet, Editores ne o
ginem quidem huius, ut ita dicam, abbreviaturae
tellexisse]
- p. 89. l. 1. „*expendisse* vid.”
- p. 90. l. 25. Adde „*tota* constat immortalitate” [cf. p. 1
Edit. lin. 6.]
- p. 91. l. 4. Corrige „quod consecratur”
- p. 92. l. 14. „de cuiusquam”
— l. 18. „adversum *eam*”
- p. 93. l. 18. [Nescio quid hebetaverit oculos Editorum,
non viderint in Codice ita scriptum esse „*colligat
quaecunque non* absumpta non potest intelligi”]
— l. 20. „*cuicumque*”
— l. 26. „esse *ibi* incipiat”
- p. 95. l. 22. „carnem Chr. *factam*” [Num hoc ex ca
Edd. an Correct.? Hucusque saltem non anim
verti Typographum peccantem]
- p. 96. l. 3. [Num emendandum h. l. „Nimium *facturus
taedium?*” an l. 4. scriptor Codicis oblitus est ac
bere: *taedio?*]
- p. 97. l. 4. a fine „quod ante fuerat”
- p. 98. l. 16. „*Et apostolus* ubi” [non est in Cod. „*Et
Paulus*”]

- p. 99. l. 3. „*causas*” (erster Druckfehler?)
 — nota 1. l. 2. „*Christi est panis*”
- p. 101. nota 1. l. 1. „*quamquam*”
 — nota 2. l. 3. [omissa sunt post „*redegerit*”] „*eruditi dignissimus nomine non temere*” etc.
 — — l. 11. „*quid non secund. loc.*” cf. pag. sq. s. v. Ann. cod.
- p. 102. in notis post *Ann. cod.* delenda sunt verba „*Pro* etc. *legend. videtur*” etc., re vera enim in Codice est „*quid non*” [in evidenti res est — dicere solet Bereng.]
- p. 103. l. 3. „*nullius hominum*”
- p. 108. l. 4. [recte interpunctum in Cod. post „*praedicatum*”]
 — l. 12. „*unam earum*”
- p. 109. not. lin. penult. „*aeternae id est valeat ad rep.*”
- p. 114. l. 3. „*si sit sacram.*”
- p. 116. l. 11. „*luxit*”
- p. 117. l. 20. „*consentire erat ei, qui*”
 — l. 27. „*subjecti absumpto*”
- p. 119. l. 3. a fine text. „*omni corp. est melior*”
- p. 120. l. 9. „*illud idem epiusion*”
- p. 122. l. 19. „*Item quicumque*”
 — l. 26. „*naturae suae*”
 — l. 28. „*pan. et vin. quae in altari ponuntur, p. c.*”
 [Nescio, cur Editores hanc formulam hic et in sequentibus quinque omiserint]
 — l. 30. „*pan. et vin. quae in altari ponuntur, p. c.*”
- p. 123. l. 2. „*pan. et vin. quae ponuntur in altari, p. c.*”
 — l. 20. „*pan. et vin. quae in altari ponuntur, p. c.*”
 — l. 23. „*pan. et vin. quae ponuntur in altari, p. c.*”
- p. 124. l. 27. „*adversum vos*”
- p. 125. l. 13. „*beatumque me Ambr.*”
 — l. 23. „*quam vere b. A. i. e. l. sentiat*”

- p. 125. l. 28. „sophisticorum *est* enim”
- p. 126. l. 14. „speciei suae (speciei autem”
 — l. 24. „praeparavit *deus*” [sic „d̄s”]
- p. 127. l. 9. „colorem *illum* const.”
 — l. 23. „quod *tu* in q.”
- p. 128. l. 8. ascendit *in* coelum”
- p. 129. l. 1. „Attende ergo *quam* indiss.”
 — l. 6. „Moysi” [sic semper cf. p. 194. (Cod. 146.) et
 p. 206. (Cod. 154^b.)]
- p. 131. l. 5. „corpus” (zweiter Druckfehler)
 — l. 14. „Alioquin *quum*”
 — l. 24. „de *communicantibus* m. d.”
- p. 132. l. 11. „vidisti sacramenta”
- p. 133. l. 13. „quod *tibi* interpretari”
- p. 136. nota l. 5. „carnem i. a. factam”
 — — l. 6. „d. d. *et*” [deest „c.”]
- p. 138. l. 3. „*quae* nondum” [cf. p. 149. l. 3—6.]
 — l. 28. „sanguinis”
- p. 139. l. 2. a fine „quod *dicit*” [scriptum erat a prima
 manu „*dicis*”, sed correctum ab altera „*dicit*” supra-
 posita littera *t*]
- p. 143. l. 27. „rem incredibilem *credibilem* esse”
 — l. 29. „sententia *tota* persistit”
- p. 145. l. 16. „quod *in* utraque”
- p. 149. l. 3. „cordis tui sentiat”
 — l. 4. „*quae* tu acc.” [cf. p. 138. l. 3. et mox l. 6.
 „cuius *ea* sint”]
 — l. 17. „in tantarum rerum convers.”
- p. 153. l. 25. „et eod. nom. *et* ead. eg. tract. prosecutione”
 — l. 27. „fidel. *atque* refect.”
- p. 154. l. 7. „vid., *quum*, *quae* s.”
 — l. 24. „qui corde” [abest „*in*”]
- p. 155. l. 3. „*quin* aliud vid.”

- p. 157. l. 5. „mortem *domini* et resurr., aqua” etc.
- p. 160. l. 10. „Christi corpus”
- p. 163. l. 4. a fine „mille iam annos”
- p. 164. l. 23. „aggrediar”
- p. 165. l. 3. „forte visib. vid. *forte* dicat”
 — l. 18. et l. 22. „facinus *vel* flagit.”
- p. 166. l. 6. „cuiuspiam talis”
- p. 167. nota 1. [Haec quoque nota superflua est, nam indubitanter, ut Berengarii vocabulo utar, scriptum est in Codice „scribis”]
- p. 170. l. 7. „eiusdem beati Ambr.”
 — l. 14. „panis *atque* vini”
- p. 171. l. 2. [„cordis” non est in Codice sed ex mera Editorum coniectura intrusum, quod infra annotare sane obliti sunt]
- p. 175. l. 6. a fine „ubi *apud* patrem”
- p. 176. l. 5. a fine l. 5. „Christi corpus”
- p. 178. l. 16. „Vivo *ego*”
- p. 179. l. 23. Negligenter post „ecclesiae” omissa sunt verba „quod habet a benedictione”
- p. 186. l. ult. abest „Christi” quod inepte hoc loco intrusum. [Utinam memores fuissent Edd. eorum quae mox verbis August. et Ambrosii utens (p. 187. l. 8—12.) praecipit Berengarius „eruditionem tuam, „cum hoc legeres, attendisse oportuit — appende „verbum — vide distinctiones singulorumque verborum proprietates”.]
- p. 189. l. 8. deest „beatus”
 — l. 23. abest „in altari”
- p. 192. l. 12. „si putas”
- p. 193. l. 20. „materia”
- p. 194. l. 16. „speciem *id est* colorem”
- p. 195. l. 1. „non nescis”

- p. 196. l. 3. „quale est — — tale est”
- p. 198. l. 14. „celebratur”
— med pag. [Cod. semper „milies”]
- p. 199. l. 10. „quum in multis”
- p. 200. l. 15. „Chr. i. vuln. sent. non potest”
— l. 27. „spiritualem [deest h. l. „esse”] non dub.”
- p. 202. l. 13. „dico in carne et sanguine”
- p. 203. l. 21. „se viam finisse” [Vide quam parum attente egerint Edd., neglectis enim duabus unius vocabuli litteris omnem horum versuum sensum turbaverunt, et quasi pedibus proculcarunt]
- p. 204. l. 16. „quod se per omnes”
- p. 208. l. 17. „deperisse”
- p. 210. l. 9. „derogabis”
- p. 211. l. 6. „scribis [attende ad sequens „debuisti”]
— l. 26. „positus fuerat in altari c. o.”
- p. 213. l. 21. „stultissime”
- p. 216. l. 4. „subaud. ut ita b. Amb.”
— l. 4. a fine „apposuit iam”
- p. 219. l. 19. „dicas”
- p. 220. l. 24. „quarti de sacr. sermonis pr.”
- p. 223. l. 4. [Delendum „hoc” quod ortum est ex male intellecta scriptura „helementum”]
- p. 224. l. 7. „corporis est, et”
- p. 226. l. 3. „accipiatur dictum”
— l. 14. „sicut ego in te”
- p. 230. l. 1. „enim attend.”
- p. 231. l. 5. „vel sententia” a Correctore vocabulo „scriptura” suprascriptum est.
— l. 17. „tibi ipse b. Amb.”
— l. 20. hic in inferioribus”
— l. 23. „quod tibi confingis”
- p. 232. l. ult. [ad detgendam = detergendam?]

- p. 234. l. 7. „subauditur”
- p. 235. l. 11. „*Haec in qu.*”
- p. 237. l. 6. „voce*m dñi*” [suprascriptum *dñ* = *Deum*]
- p. 238. l. ult. „sumimus” (dritter Druckfehler)
- p. 239. l. 17. „Amb. locum *hunc* vel al.”
- l. penult. „aliis *in* locis”
- p. 242. l. 2. „procul *ambiguo*”
- p. 243. l. 11. „Cum *dicit*”
- p. 245. l. 11. „quas per gen.”
- p. 247. l. 3. „confirmas”
- p. 249. l. 7. „Non dissensit”
- l. 11. „*supersit* [*sumpsit* omni caret sensu]
- l. 13. „mente *gratam*”
- p. 250. l. 6. a fine „ad refect. *cordis*”
- p. 253. l. ult. „ita dicatur”
- p. 254. l. 21. „et *in* superiorib.”
- p. 258. l. 10. „spir. vegetat.” [Ad hunc locum pertinet nota, quae falso in sequenti editionis pagina (259) appo-
sita est, id quod luce solis clarius erat]
- l. 15. „et credid. in Chr. *suis* scel. ign.”
- p. 264. l. 19. „eas esse corrupt.” [sine sensu „*ipse*”]
- p. 265. l. ult. „Signum quia m.”
- p. 266. l. 4. a fine „cuius *piam* talis”
- p. 267. l. 3. „depositus [deest „est”] sepultus est”
- p. 269. l. 4. „IERON. in epistola ad Heb.”
- l. 10. „effundetur”
- p. 272. l. 20. „quum in mult.”
- l. ult. „facite, *ait*, in”
- p. 273. l. 8. „coniunctim” (pro: *coniunctum*)
- — nota 1. [numerum paginarum recentioribus tem-
poribus adscriptum esse quisque facile intelligit.
Quis autem hoc errori aut vitio vertat Codici?]
- p. 274. l. 14. „divinitate *vel* humanitate” (pro: *divin. et hum.*)

- p. 274. l. 16. 17. „mensae dom. comm.” (pro: comm. m.)
 — l. 23 „ante *vel* post” (pro: ante *et* post)
- p. 275. l. 41. „utrumque hom.” (pro: *utramque* hom.)
 — l. 28. „utrumque postem” (pro: *utramq.* p.) [a
 haeret in Berengario culpa „colaphizati” iterum
 Donati]
- p. 276. l. 1. „negari poterit” (nequaquam: neg. *non* pot.)
- p. 277. l. 17. „Deo sub sil.” (pro: domino sub sil.)
 — l. 24. „*haec dona quae dicta (?) i. e. accepta ha-
 beas et benedicas*” (haec omnia Edd. oculos fugerunt)
- p. 280. l. 24. „a. *et* s. p.” (pro: a. e. s. p.)
 — l. 25. „n. a. *et* quod” (pro: n. a. e. quod)
- p. 282. l. 8. „esse eccl.” (pro: esse *in* eccl., quod perpetuo
 scrips. Edd.)
- p. 284. l. 6. (Lapsi sunt Edd. in omisso vocab. *cum* postea)
 — l. 14. „ignibus *est* quando” (pro: ignibus quando)
- p. 285. l. 22. „de *Christi* sacrificio” (male abest apud Edd.
Christi)
 — l. 27. „Lanfr. condemn.” (pro: condemn. Lanfr.)
- p. 286. l. 5. [fort. *mysteria*]
- p. 289. l. 20. „Qui *affirmat*” (? scripserunt Edd.: qui *affir-
 mant* — — c. auct. loquuntur)

(*Nota.* Praeter haec a Viro doctissimo e Cod. ms. enotata, per
 libri parte programmata Gotting. transcribentes, quavis fere
 gula plus una vice omiserunt Edd. tam totas lineas, quam
 gula verba, quae auctore Aug. Neandro, V. S. Ven., Stae-
 vestigia secutus, supplevit qui correxit plagulas. Itemque
 paginae inde a pag. 273., iussu Bibliopolae ex hoc spic-
 emendationes factae, antequam typis exscriberentur, ideoque
 pag. 293. sqq. genuinis Cod. verbis, ea quae fuerant ab Edd.
 mutata in deterius, apposita sunt.)





